

















62 *Ellis & White.*

439 SCHILLERI (J.) Commentariolus vere aureus de peste

439 SCHILLERI (J.) Commentariolus vere aureus de peste Britannica. *Basil.* 1531. 12mo, *calf neat*, 12*s*.

Of this treatise on what was known as the 'English sweating-sickness,' Mr. Turnbull has written on the fly-leaf, 'Of the very utmost rarity. I searched in vain for it during many years, and paid 1*l*. 8*s*. for it unbound.'

DD. IOACHIMI SCHILLERI AB HERDEREN, PHYSICI, DE PESTE BRITTANNICA COMMENTARIOLVS VERE AVREVS.

AD HAEC

ALEXANDRI BENEDICTI Veronensis, recentiorum medicorum facile principis, de obseruatione in pestilentia libellus, plus in recessu certe quam fronte promittens, a mendis innumeris tandem uindicatus.

BASILEAE EXCVDEBAT HENRICVS PETRVS, MENSE AVGVSTO, ANNO

M. D. XXXI

MAGNIFICO ATQVE PRAE-CLARO VIRO AC DOMINO D. LAMPERTO MACRINO

Christianiss. & inuictiss. Gallorum regis consiliario & in generalibus eius prælijs antesignano & primati, Ioachimus Schillerus Herderensis medicinę doct. Gaudium & Salutem dicit.



I quicquam alius, extra mortalium aleam citra controuersiā posite Lamberte, post festum, ut prouerbio dici solet, tardius quã uenire censetur, ego is maxime, si Dijs placet, sicq; atrocibus & nasutis Zoilis credimus, ero. Habent enim fere omnes, qui inculpatam alioqui rem damnant, præter supplosa, & hæc absq; ratione in ore uerba, unde ne & huius me accusent, atq; perinde id mihi, quod uulgo dici assueuit, bis positam Cramben, uenenum esse impingant, summe uereor, dumq; hæc paulo altius ab noctium harum aggressu mecum uoluerem, quam non tutum ingredi iter in limite ipso horrui. Quis enī, dic quæso, per tot nefandorū rabularū sentinas, nisi aculeos acerbissimos, quis omniū nisi insignē statuat comitē effugere per ora potest? An enim hæc potuisse eloquentiæ & Romanæ linguæ parentem Ciceronē existimas? An horū technas

Homerus Poëta insignis & uetustus præte/rire potuit? Imo alij quamuis Attice, tersecꝫ satis loquerentur μασιγας semper habuere su/as. Dumcꝫ animus aliorum periculis edoct⁹ a fronte hæc mihi prædiceret meus, corde quo me uerterem hærebam, adeo animum percel/lit impudentissimorum obtrectatorum auda tia, ne dicam impudens temeritas. Exulo tan dem timore, abiecta in illos fronte, nescio quo consilio aleam iacere, quoniam magno usui plerisꝫ futurum sperabam, non subpuduit, quamuis super eadem materia, & de eodem morbo (qui recens non est, sed ut uiua mihi uoce indicauit doctissimum, ac patrium illud numen Erasmus Roterodamus, ante annos plus minus triginta in Anglia, unde & no/men hausit, increpuit) plures alij scripserint, opinione tamen potius a plerisꝫ qui germa nice rem tradiderunt, negocium hoc tractatū uideo, inter reliquos uero iudicio meo, & quos ego uidi, nemo eadē præstitit pulchrius, nemo felicius, præceptore meo Anthonio Klumpio Physico Vberlingensi in, Rodmici lacus, quem Acronium Pomponius uocat, littore oppidulo. Cumcꝫ & ille pro uirili non linguæ sed rei potius studeret utilitati (quod ut pleriꝫ recentiorum medicorum faciant deum precor) uix maleuolorum cachinnos, morsusꝫ præterijt, adeo improbum est hoc hominum genus, in quos tamen sermonem in præsens ne intenderem meum, studio arte/cꝫ caui, & tacite morbum illis imprecatus, Herculanū subduxi me. Vt enim lucri plane

nihil

nihil, ita id commodi, quod irritatis extimu-latisq; crabronum nidis alij expectant, reportauissemus. Verum cum in tuta per loca, illũ quem recens de Brittannica pestilentia (quem in binas secuimus parteis, quarum altera prę seruationi, potissima medicinæ parte, altera autem repullulantis morbi, quiue nos deserere non desinit, quin radices perinde agat, curationi attinet) a nobis conscriptum commentariolum iturum agnosceremus, & ut naso cæteros suspenderemus adunco, super eligendo qui horis hisce præesset patrono diu cogitauimus. Quumq; tua mihi protinus ubiq; non satis prædicata celsitudo occurrisset, beneuolentiaq; illa in me singularis, animi deniq; tui uera nobilitas, synceritas, candor, & generositas allexissent, persuasissentq;, pro more patrio & ueteri illa consuetudine (quoniam te Basilæam rediturum a D. Petro Luca Regi clementiss. a thesauris, acerrimi iudicij, & multarum rerum cognitione viro, acceperamus) xeniolo hoccine exiguo, quod pro ingenij & fortunæ meæ tenuitate iam damus, dedicamusq;, exceptum te iri uoluimus. Arbitrabar enim tanto me cum domino & heroi, ac quod maximum est studiosorum omnium Mecœnati, quem Christianiss. Gallorũ rex ob summam prudentiam, dexteritatemq; ineffabilem, ut illi a consilijs esses selegit, amicitiæ sic facilius, sineq; negocio capturum initia, eademq; perpetua & multum duratura in æuum. Dijs enim ipsis, si hæc efficere possent, an nõ essem felicior? quis quæso fortunatior?

EPISTOLA NVNCVPATO.

Quum nonnihil sit tanto complacuisse viro. Proinde restat, nec in te quid aliud desidero, quã quod pia fronte, animo in tam parua non abiecto, quicquid est quod damus, suscipias. Sic enim, ut in cupressinis tabulis nomen sim obseruaturus tuũ, effi cies. Deinde uero Deo opt. max. annuente nos ad meliora, stoma/ chocꝫ magis deseruitura tuo inuitabis & pro trahes. Superest quod valeas, & ut Hesiodi ã senectam adimpleas, utcꝫ multorum te nobis dierum senem Deus opt. Max. efficiat precamur. Vale denuo, Basileæ pridie Ca/ lend. Iunij, Anno salutis nostræ

M. D. XXXI

INDEX CAPITVM COMMENTARIOLI PRIMI IOACHIMI SCHILLERI.

SECVNDVM COMMENTARIOLUM, quod eſt de curatione, hæc obtinet capita.

De ſomno

INDEX CAPITVM ALEXANDRI BENEDICTI.

FINIS INDICIS.

LECTORI S.

PRæterq́ quod et hic paucorū etiam erratulorum cōmonere lectorem diligentē necessum fuerit, nihilominus & id quoque, nempe, quod in exordio libelli Alexandri Benedicti de febribus pestilentialibus, auctoris titulum, quod in antitypo non erat additus, consimili oscitantia neglexerimus, admonentes æque quemlibet contentum esse oportere, eo qui restitutoris epistolam præit. Vale.

Folio 10. facie 2. linea ante penultimam lege primis.

Folio 11. in calce 7. capitis pro siue, lege simplicem.

Folio 13. de animi parthematis, lege pathematis.

Folio 26. Christianissimoq́, lege, Christianissimiq́.



IOACHIMI SCHILLERI HERDERENSIS, PHYSICI, PESTIS BRITANNICAE COMMENTARIOLI, SEGMENTVM PRIMVM.

De Britannici sudoris definitione, Caput primum.

TRadita est hactenus non tam a nostri æui medicis, quàm uetustis illis, pestilentis febris definitio, naturaque. Perpulchre tamen inprimis (ut mihi uidetur) a Platonico illo Marsilio, ex Galeni, facile medicorum principis sententia, qui pestem inquit esse cum aëreo corpore draconē. Hippocrates uero eam commune genus febrium appellauit. Atque iterū huius interpres Galenus, pestem esse docet, in omēs, uel certe quam plurimos sæuiētem morbum. Sunt etiā reliquorum illustrium medicorū haud inelegantes super hoc morbo definitiōes, quas in presenti memorare superuacuum censui. Ego meam hāc superioribus adijciens, toto quod dicitur cœlo, uix me erraturū putaui, si luem

lib. de spiritalib.
lib. medi. defini.

illam, ſpiritus, quem nolentes uolentes ſubin
de trahimus, morbū dixerim, & ex contactu
febrem, nō ardentem quidem, ſi cęteris æqui/
pares, ſed lentam, blandamq́; : cuiuſmodi pe/
ſtilentialiū nonnullæ depræhenduntur, e qua
rum farina illa quoq́; (mea quidem ſentētia)
conſiſtit. Sudorem, de quo in præſens agim9,
li.3. de cri aſſeclam, comitemue habens, qui non tam
ſi.ca.3. huic, ut Galenus teſtatur, quam reliquis fe/
bribus omnibus cōmunis eſſe aſſueuit. Qua
propter nō morbus, ſi rem rimeris ad unguē
cēſendus eſt, ex liquido reſolutus ille halitus,
ſed ut iam diximus, peſtilentis ardoris ſym/
Qui fiat ſu ptoma. Oritur autē ſudoris defluxio, prori/
dor oſtēdit tatioq́;, a potente primum, & ualida natura,
Hippoc.li. in ſubiectam ſibi materiam, perinde ut in ho
de flatib. ſtem, vires ſuas tentante, iudicationis uiam
per occultos humanæ compaginis meatus
inueniente (habitu reſoluto, ac in tenuius de/
ductis humoribus, ex principibus viſcerib9,
corde ſcilicet, & hepate, ſuperfluam abijcien/
te humiditatem) adq́; corporis vniuerſi ſu/
perficiem reponente. Sed optimo id Dei opt.
max. & naturæ conſilio factum eſſe (quando
hoccine decretorio ſubitam præcauere mor/
tem) neminem tam rudem qui non intelligat
li. prædic. existimarim. Cæterum ut cum Hippocrate
.1.79. dicamus, aſſeremus τοὺς μὲν ἱδρῶτας, ἀρίστους εἶ-
ναι ἐν πᾶσι τοῖς ὀξέσι νοσήμασιν, ὁκόσοι ἂν ἡμηρῆσι-
li. de mor. τε κρισίμοισι γίνονται, καὶ τελείως τὸν πυρετὸν ἀπαλ-
decretorio λάττουσιν. ἀγαθοὶ δὲ, ὁκόσοι διὰ παντὸς τοῦ σώματος
γινόμενοι, ἀπέδειξαν τὸν ἄνθρωπον εὐπετέστερον φέ-
ροντα τὸ νόσημα. οἱ δὲ ἂν μὴ τοιοῦτόν τι ἐργάσωνται,

οἱ λυσιτελέες &c. Hoc est si latine reddas, Omnium acutarum ægritudinum saluberrimos esse sudores, qui diebus iudicatorijs oriuntur & emergunt, ad vnguemque febre laborantē asserunt ac uindicant. Inculpati uero censentur etiam illi, quotquot sese per vniuersam semel corporis molem exerunt. Nam hominē ægrum leuius tolerare morbum insinuant. Qui uero nihil horum efficere queunt, ne tantillum quidem commoditatis afferunt.

De causa morbi. Cap. ij.

SEd ad causarum fontiūque illius pestis inuentionem, ut sermonē nostrū deflectamus iam commodum esse uidetur: Hippocr. medici mētem, si bonus, acer, & dexter est, causam, ex qua corpori omnia mala scaturiunt, & inquirere, & concipere tradidit. *lib. de glandijs.* Siquidē eodem teste, si quis eas probe cognoscat, pspectasque habeat, potens est ea adferre, quæ corpori ualde accōmodent præsidia: quēadmodū e contra letalia sæpe pro salutiferis pocula, si alio tramite, qui absolutā inuestigādarū causarū methodū nō tradit, incedat, aut certe declinet. *li. de flati.* Clamauit Galenus plus semel, in omni causarū genere, diligenter aduertere, ex qua maxime potētia ægrotare contingat. *li. de diffe. feb. 1. ca. 3.* Hanc aūt cū fere nemo hodie feliciter aduertat, accidit ut hallucinatio sit ineffabilis, error uero maximus, potissimum uero circa detestādos illos passim empyricos, Thessalosque. Sed longius hæc quam uolebamus, quapropter ἐρημαξοπένοι unde digressi sumus reuertamur. Habet autem principes causas quinque

Prima pestis hæc. Vnam maximam, quæ pijs preci-
causa. bus, & ieiunio auferri potest, Deo opt. max.
cœli super nos inclementiã accidere iubente,
quod etiam Zoar, qui primum mihi uenit in
buccam testatur. Auicenna uero optimus
li. xi. meta- senex, Attende, inquit, omnium istorũ euen-
physi. tuum dispositionem, & crede quod de diui-
nis dicitur flagellis, quæ descendunt super fla-
li. anaton. gitiosorũ peccata, etc. Alexander Benedict.
11. ca. 26. Veronensis medicus illustris, nõ sine naturæ,
& maiestatis diuinæ iniuria, morbos accide-
recenset. Sed & Ethnici suis dijs multa tribue-
in Phædro re. Plato furoris geminas depingens causas,
unum fieri mentis ipsius intentiõe, ex corpo-
ris causa & origine. Alterum diuinum, siue
immissum, eiusq; Apollinem inspiratorẽ esse.
Prædic. 1. Hippo. monuit hisce uerbis, ἅμα δὲ καὶ εἴτι θεῖον
à princi- ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσοισιν, καὶ τούτου τὴν πρόνοιαν ἐκμανθά-
pio. νειν. Hoc est, Pariterq; & si qd diuini morbis
inest, huius quoq; prouidẽtiam tenere. Alio-
rum quinimo plures admodum sunt, qui di-
uinæ prouidentiæ in progignẽdis morbis nõ
parum tribuant. Miror igitur, quæ Pallas
hoc illi miserit in mentem, qui nuper ĩ sua hi-
dropy retologia, in hæc ṽba inquit. Sed quã-
uis vera, quæ de morbi causis protulimus,
paucos tamen nobis credituros præscimus,
cum plerunq; & docti & indocti, tanta sine
superstitione concitati, ut hunc morbũ diuina
vltiõe, propter scelera nostra, ab alto in terrã
demissum arbitrentur, qđ tamen, si recte cre-
dimus, longe erroneum est. At quantum a
scopo aberrarit, liquido constat ijs, qui non
tam

tam gentilium, quàm sacrorum illustrium patrũ libros euoluerunt. An enim non aperte scriptura nobis aperuit, miris olim flagellis Deũ opt.max.rebelles puniuisse? Hezechiel propheta, Ira mea super uniuersum populũ, gladius foris, pestis & fames intrinsecus etc. Moses, Adiungat tibi Dominus pestilẽtiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam &c. Argumenta uero, quibus ille sua dicta corroborata putarat, tantum ad rem fecere, quantũ ingentis Cyclopis calceus tenello infanti.

Hezechiel. cap. 7.

Deute. 28.

Syderibus quinetiam & stellis, quas Planetas uocãt, mira cũ mortalibus conueniẽtia est, ea propter immutandorum corporũ maximam uim obtinẽt. Harũ coitus defectusque accurate obseruandus. Inter illas tres sunt futurorum morborum nuncij & præcones, Saturnus, Mars, & Mercurius. Super quibus quoniam nunc narrandi locus non est, supersedeo, adque alia hinc transeundum censeo.

Secunda causa

Sed ei quæ præcedenti anno fuit temporũ immutationi nihil non dandum. Hanc enim morbos potissimũ facere Hippoc. testis. Fitque semper perpetuũque est, si temperaturam suã non ordinatim recipiant, & cum preposteram, non temperata, cõstãtiaque sunt, ut morbi & prorumpant, anteque tempus decernant ac remaneant.

Tertia causa. Apho. 1. secũ libri. li. de humo li. de aere, aqua etc.

Nec parũ tribuo uictus eo tempore rationi, siquidem manifeste deprehendimus omnes fructus, cæteraque singula, quæ ob hominem creata sunt, ut ijs probe uteretur, male con-

Quarta causa.

coxisse Phœbum, semicrudaque mansa fuisse. Iuuit etiam auxitque malum frequens multaque crapula, & in potationib⁹ ociosa uita nostra. Quæ quantum corpori auxilij tribuere possunt, apud se quisque cogitet, & rimetur.

Quinta causa. Atqui ad ambiẽtis nos perpetuo aëris corruptionem, causam referre postremã quis uetat? (Ego potissimã hanc esse duxi, auiũ argumento ductus, quæ sub arboribus peste correptæ inueniebantur passim, abscessibus sub ascellis cicerũ instar, non carentes) Siquidem

li. med. diffini. & alibi Galenus, hãc potissimã omnis pestis causam esse recenset, quæ aliquid in corpore generat, quamuis ipsa sit corporis expers.

li. de spiri. Ipsissimus item Hippo. inspirationi, pestilentis constitutionis tempore, haud exiguam tribuit causam, quoniã mortalibus hæc cũ uitæ, tum morborum causa deprahenditur. Attrahentes itaque morbosis infectum inquinamentis aëra, necessario lædimur, in suam enim naturam illico nos & rapit & trahit, quo fit, ut

de Crisi li. 2. ca. 3. talis noster, si Galeno credimus, fiat spiritus, qualem nos haurimus aëra. Lædit uero talis, uitales primo cordis spiritus, mox & humores ipsos perturbat, quibus in ebulitionem actis, conscendunt inque tumorem attollunt, quem febrem esse liquido constat. Rhazes in-

li. de pesti. quit, pestem fieri perputrescente sanguine, efferuescẽteque ad efflandum rapidam redundãtiam, Sed abscessibus hæc magna ex parte, quemadmodũ nostræ febris redundãtia, uapore terminatur, finitque. Quanque non semper omnes uomicas, bubonesue ostendant: plerique

ricꝫ enim pestilenti febre correpti præter pa/pulas ac maculas(ueluti morbilli sunt)per corporis partes disseminatas non aliud fere o/stendunt signum.

Quos ambiat lædatcꝫ, Cap. III.

Vidimus frequẽtius hoc morbo oppressos corpore cãdidos, robustos, pastu dulci usos, galactopotas, et ut sũma/tim dicam, sanguineos, eoscꝫ qui antea febri/bus rapiebantur continuis. Crapulosos item & quorum uitiosos uasa continebant humo/res, uentriculosos, crudis se, liquidiscꝫ, quam corpora ferre possint, subinde infarcientes ci/bis, copiæ huic nullum adijcientes laborem. Senibus solis quandocꝫ pepercit pia, hos enĩ (quoniã improbis, & in putrefactionem pro cliuibus succis destituũtur, arripi minus Pli/nius autor. Prǽternauigauit etiam magna ex parte atrabilarios, et emaciatos corpore, quoniam & horum corpora putris succi expertia erant. Natur. hi. li. 2. ca. 98

Abscessus cur non ostendat, Caput. IIII.

Binæ sunt huius rei causæ, Excremẽti sci/licet tenuitas, & corporis ipsi⁹ raritas. Ambo enim hæc ut profusius & prori/tentur & effluant sudores, efficiũt. nihil intus relinquẽte natura, qd'. in collectionẽ emerge/re possit, quapropter nec abscessus, nec uomicę expectandæ. Sudore enĩ euanescũt, quæ loco alias insedissent alti⁹, ubi maior excremẽti ad/fuisset crassities. Quib⁹ aũt nõ affati promãt,

hĳs recidiuæ superueniūt, detenta adhuc profundi⁹ in corporis latibulis materia. Sed hæc eorum, quæ iam dicturi sumus, ueluti præludia quædam sint.

De præcautione, Cap. v.
De Aere.

VBi malis inquinamētis, quæ humanæ naturæ hostilia sunt, refertū uidemus aëra, illud inprimis & agendū & curandum est, ut rupta mora quamprimum ad fugam nos accingamus, in magis tutum salubrioremq́ʒ locum, non redeūtes, donec pestis feliciori sydere fugata, in Cymerias procul abierit tenebras. Quod si eodē te in loco, statu hoc cœli pessimo permanere oportet, fac ut te in placitas illico recipias aulas, situ quidē (nisi pestis desuper, nam tum abyssi petendi sunt, veniat) ob permeantem phœbum altas, & quæ ab aeris tabe absint procul. Clausas etiam, cœlo nubilo, & turbulento existente, instantibus cū hoc pluuĳs, hudis, inserenisq́ʒ diebus, ne transeuntem recipiant hostem. Ad rutilantis tantum solis ardorem apertam habeto palestrā, sed magis ad eam cœli plagam quæ Septentriōi adtinet, flante Borea. Is enī cum natura frigidus et siccus sit, omnia quam diutissime (Galeno teste) imputria seruare, corporis superfluitates, quæ pestis huius fomenta sunt, consumere, roburq́ʒ instrumētis, astringendo, & in unum cogendo substantiā adĳcere potis est. Verum quid Galenum in testimoniū uocamus? An non M. Varro cum

de tempora. 1.

Corcyræ

Corcyræ eſſet exercitus, ac claſſis, & omnes domus repletæ eſſent ægrotis, ac funeribus, immiſſo feneſtris nouis Aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ianuaq; permutata, cæteraq; eius generis diligentiæ, ſuos comites ac familiã incolumes reduxit? Morboſos cõtra & peſſimos Meridionales & Auſtrinos iudicato, fœtidas item, cloacam, fimum, ſtagnũ, ſpirantes. Ieiunum ædes exire, quoniam tutum non eſt, neutiq; conſulerim, niſi ſerenum te inuitet cœlum, antidotis quæ deinde dicemus, præmunitus. Pranſum, lari relicto, dio ſe credere præſtat. Habitatio tua die noctuq; thymiamata quæq; ſuauiſſima redoleat, temperata omni tempore, hyeme calidiora, frigidiora æſtate. Odorata enim putrefactionẽ prohibent, noſtri corporis ſpirit⁹ oblectant, et prauorum humorꝝ intemperiem ſalubrem in ſtatum reuocant. Tempore uero frigido, aëre hudo, optimum eſt, perpetuũ focum ex odoris lignis, pinu, abiete, palma, Elate a Dioſcoride vocata, quercu, iunipero, &c̃. carie vitioq; carentibus, fouere. Harum enim crebritate tabido aeri antiquitus occurſum fuiſſe uideo. Agron medicus, Athenas magna peſtilentiæ ui ſæuius infeſtante, affectorum pleriſq; ſalutarem intulit opem, accenſis in proximo ignibus. Eadem feciſſe Hippocr. niſi me fallat opinio, apud Galenũ legi. Sed quis hæſitat aſſiduũ ignem aëris maliciam, frigus, venenoſam ſubſtantiam, & improbitatem omnem, exuere, & abijcere non poſſe? Verꝫ diluculo id facere ſurgẽte phœbo

[Margin: li. 11. c. 131.]

[Margin: Agron medicus.]

[Margin: li. de cõm. tieria.]

conuenit

conuenit,& uesperi quoq;, quãdo nocturna densescere humectatiõe aër incipit, te aũt illi & assidere, et astare decet, cauens interim, ne ab igne ad frigus corpus repente promittas. Sæpius enim apertis poris blandũ subrepsit uenenum. At inter arbores hoc tempore cõ-

Arbores

mendatas, non ignobilis habetur iuniperus, & huius baccæ, lignũ inciditur, cõterũt baccę utraq; carbonibus superinijciũtur. Tamarix arbor exigua, μυρίκη a Græcis uocata, incisa & suffita commendatissima. Ebenus iucũdo odore supra carbones sine fumi tedio suffit, quæ etiam recens ad ignẽ prolata ob pinguedinem accenditur. Laurus item, cuius folia si urantur, pestilentiæ cõtagia prohibere Plini⁹

li.23.ca.8. testat. Audio Cõmodi Imperatoris medicos

lib.1. Hist. (ut Herodianus autor est) πρὸς τὴν τοῦ ἀέρος φθορὰν ἀντέχειν λελεχέναι, εὐωδίαντι τῆς τῶν δαφνῶν ἀποφορᾶς, καὶ τὰς τῶν δένδρων ἡδίας σκιάς, quod est, Noxijs aëris inquinamentis, peramœni odoris laurorum suffitu, & ipsarum suauitate umbrarum resistendũ affirmasse. Sed ut fraxinũ quæ cariem & putredinem nescit, reliquas antecellere credam, persuasit Plinius. Is se exper-

Plinius.

tum inquit, matutinas occidentesq; umbras eius, quamuis sint longissimæ, nullum serpentem attingere. Quod si fronde ea, gyro clauditur ignis & serpens, in ignem potius, q̃ in fraxinũ fugere serpẽtem. Cõmendantur etiã reliqua bonitate, & odoris flagrantia præcellentia ligna, sicca, acapna, et causima, Quædã enim ob aquosum pingue non accenduntur, nec flãmã recipiũt, quapropter grauius olere

uidentur, Ex locis item nondum infectis aduecta. Prohibentur putrida, & uetustate erosa, tetriqꝫ odoris. Inter pretiosa est lignum aloës quod est maculatum, odoratum, gustu astringens, cũ quadam amaritudine. Hoc nõ nisi in principum aulis, minuta in frustra incisum optime suffitur. Ex arborum lachrymis comburẽdis, styraci, quem calamitin uocant, & therebinthinæ prima ab autoribus data est palma. Commendauit præ cæteris terebinthinam Auerrois. Deinceps est thus masculum, candidum, in suffitu statim ardẽs, Myrrha, quæ amara, acris, odorata. Ladanũ odoratum, pingue, Lentiscina resina quoqꝫ, quę mastyche. Ex uulgaribus sunt, pini, abietis, laricis, & aliarum odoriferarum arborũ resinæ. Ex corticibus suffumigandis, est cinnamomum, casia aromatica, quam ligneam uocant, cortex item thuris, & odorate nucis folliculus μάκιρ. Et citrei mali putamina, quæ odoris gratia ac suauitate, non olfactu tantum, sed & gustu commendantur, huius odorem Auicenna rectificare corruptionem aëris, & pestilentiam tradidit. Sunt etiam ex radicibꝰ aliquæ, quæ accensæ inclemẽtis aëris naturã prosternũt, ut Enulæ cãpanæ, Acori, Iridis, hęc optima, quæ dũ tundit sternutamẽta mouet, Costi, galangę, zedoariæ, asari, gingiberis, iunci odorati, Calami odorati, quem Hippo. myrepsicon. i. ungentariũ, Plutarch. arabicũ appellat. Sequẽtes herbas dũ uirides sunt, manu geres, siccas sup carbões accẽdas: sunt aũt sansuchũ, lauẽdula, libanotis, ozimũ quod

5. Colliget

Gal. 2. de ali.

Can. 2.

quod Basilicon dicit, saliua, mentha, citraria, origanum, pulegiū &c. E reliquis, crocum, cariophylli, moschus, ambra, mel, odorata nux, odorata olea &c Possunt etiā cōmixtis prædictis formulæ ad suffrumigia fieri. ℞. Agallochi, Croci, Cinnamomi, Caryophyllorum, sandalorum luteorum, rosarū purpurearum anā ʒ 5. masticheς, styracis, thuris masculi, iridis, an ℥ 1. Ladani ʒ iij. moschi g. v. cū nardino oleo fiāt trochisci parui drachmæ vnius pondere. Ex illis sæpe (quoniā accepta beneficia diu non retinet aër) suffumigia facere necesse est, pro vice uero sufficit pastillus vnus contritus, & viuis prunis insertus. Pastillos itē de ligno aloës, de Cyperis, & Galliam illam moschatam aliptam moschatam descrip. Mes. cateraq; eius ordinis Thymiamata non uitupero. Delectant enim cōtabescentes spiritus, viresq; deinde & vegetas & firmas reddūt. Nec placet superioribus pure & simpliciter uti, quoniam aliqua ex ijs quū calida multum sint, frigidiorum interdum ad mixtiōem ad contemperandas naturas affectāt. Malū sequēs nudū manu geratur, quod habet Ladani, bēzoi, an ʒ iij. agallochi, cinnāomi. an scrup. iiij. caryophyllo℞, nucis odoratæ, maceros, an scrup. ij. 5. thuris, ozimi, drach. 5. Sandalo℞ luteorū, rosarū pur. an. drach. 1. Croci scrup. 1. melissophylli scr. ij styracis calami. drag. iij. Terant subtiliss. & cū infusione dragachantæ in aqua rosata moschata. q. s. et par℞ styracis liqdæ, fiat pomū, & Aromatisa cum. g. vi. mosthi, & duobus

Malum.

ambræ

Ambræ. Vel si placet, pro religiosis fiat zona oraria. Citrei etiam mali odor inculpatus est. Quidam manus & faciem summo mane ex aqua sequente lauant. habet caryophyllorum contusorum grosse. vnc. 5. aquæ melissophylli. unc. 8. aceti rosacei. unc. 4. Ego hanc multū laudo, quoniā & mirifice iuuat. Sed q̄bus clypeis tempore frigido aeris improbitatem arcere possimus, iam breuiter diximus. Quod si sub æstu, & Syrij stellæ ardore ingruat perniciosum malum, contrario excessu obuiam ire oportet, ut iā docebimus. Atqui superuacuum esse in ipso temporis æstu accēdere ignem, ex Thucydide discemus, inquit enim in hæc verba: ἐπὶ πυρᾶς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νοσήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτὸν νεκρὸν ὑφῆπτον, οἱ δὲ κατομένου ἄλλου ἄνωθεν ἐπιβάλλοντες, ὃν φέροιεν, ἀπήεσαν. πρῶτόν τε ἦρξε καὶ ἐς τ' ἄλλα τῇ πόλει ἐπιπλέον ἀνομοίας τὸ νόσημα, Quod est, vt nos ex tempore vtcunq; vertimus: Vbi morbo correpti aliorum pyras occupassent, alij quidem mortuū suū imponebant, ignemq; subijciebant, alij uero alio ardēte, superiecto quem gestabant, discedebant, primūq; cepit in vrbe malum multo iniquius grassari. Nec mirum, Caloris enim intemperiem sic & auget, & tabidi aëris malitiam in corpus deducit. Verum, subiectis quandoq; prunis, ea ad demulcendos refrigerandosue spiritus, quæ odorem alias nō prebent, spirantq; difficili⁹, cremare suaserim. Vtile est pomorū & pyrorum nostratium, mali item punici, & cotonij accensum putamē. Ex lignis; Sandali lutei

li. 11. pelopo. belli

&

& rubei. Myrtus, Berberis &c. Citrei mali et coriandri præparati, atq; acidi lapatij semen. Flores item domesticæ rosæ & syluestris, violarum purpurarũ, nympheæ. Solo consternãda sunt folia atq; rami salicis, vitium, & harũ capreoli, quos pampinos uocamus, græce uero Helicas, & cæterarum odoriferarum arborum, frigidiuscularumq; herbarum folia. Odoranda sunt frequentiss. mala suauissima, et quæ cũ comedunt subacida sunt, ut cotonea & pira, granata, cæteraq; id genus. Pastilli frigidi. ℞ Sandalorum luteorũ & alborũ rosarum purp. putaminũ citrij mali añ drag. ij agallochi cinnamomi electissimi añ scrup. ij masticħes drag. ß. Camphoræ g. vi. Ambrę in syluestris rosæ liquore resoluta g. iiij. Infusiones dragachãtę, uel gũmi Arabici in aqua rosata moschata donec satis. misce, & fiant trochisci parui, & triti carbonibus inserant. Facient huc pastilli de Gallia alefangina descrip. Mesues. Faciẽ aũt et manus ex rosaceo iure, quod aceti rosacei & ambræ parum habeat, sæpe ablue & immerge. Veteres œnanthino oleo (Herodiano, & Paulo testibus) nares linebant, & mensas eo spargebant. Iudicabatur enim contra pestilentiam ualere. Vestes quoq; mundæ esse debent, rosam olentes & acetum. Sintq; ut uno dicamus uerbo, omnia pura & ornata, tu autem felix.

Herodia. li. 1. Histo.

De cibo. Cap VI.

SEd ex edulijs quæ magis conueniant, & in quibus cautio existat, iam breuiter dicemus. Cibus omis boni succi esto, digestionis

ctionis facilis, ex odorato subacescens, bene coctus, pingue non habens, assatus magis quam elixus, uenerem non stimulans, et ut Auicen. ait, paucæ quantitatis, actu frigidus, potione copiosior, & quem fames expectet. Adde, ne & ille citra saturitatem sumatur. pri. 11. tracta. ult. capite. 4

De carnibus.

De auibus

Ex uolatilibus laudantur mantanæ auiculæ, & quæ in campis, pratisue, ac in vuis per uites degunt, extra paludes stagnaque, & quæ mediæ materiæ sunt, ut Galli, gallinæ, pulli matrem sequentes, caupones cortinis non inclusæ & saginatæ, phasiani, perdices, attagenæ, sturni, merulæ, turdi, & gregales columbæ. Harum iuscula adiecto oui uitello & aceti parum sorbere salubriter potes. Nec improbo si cum auri fragmentis decoquas, adiecta agresta, acido lapathio, uuis præmaturis acerbescẽtibus, vitium capreolis, aut mali granati acidi granis, hæc enim omnia in tutelam addunt. Poteris & acidis cerasijs, Thebanicis palmulis, omphaciaque uua carnes opplere, & ueru uertere, acido liquore tostas madefaciens partes, ne ignis uehementia exassentur, utque saporem quem imbibere, felicius retineant. Si autem uentriculi debilitatem, pectoris stricturam, quã ἄσθμα uocant, neruorumque conuulsionẽ uerearis, acida sacchare, suauibus amygdalis, passulis, cinnamomo, suauiũ granatorũ succo, quæque his sĩlia sunt cõtempato. Cõgelata et contusa, rosaceo aceto cõfecta malũ nõ habent. Anseris ascella sine

querela

querela est, partes reliquæ malæ. Cerebrum gallinaceū, si modice cum cinnamomo contē peres admittitur, nec uituperatur hepar. Hædorum uero, & lactentium uitulorū carnes, quęq; his affines sunt, cū acido semꝑ decoq̄re operepꝛcium. Agninā carnē, quoniā muscosa, glutinosa, et pituitosa est, Galeno teste, abijciē dam cēsui. Nec suilla, & vetusti porci, quæue ex deposito uenit, hoc est, longo tempore sale macerata, admittenda. Hircina tum ad succi probitatem, tum ad concoctionem omnium ineptissima est, mox arietina, deinde taurina, viscera omnia mala.

De sumptis ab animalibus.

Lac improbum est, & nocens, uerum gallactopot s pro cōsuetudine aliqn̄ acidum extracto butyro offertur. Nec bonus habetur caseus, laborem enim doloremue, ut Hippo. inquit, angustiam & flatum inducit, cibos reliquos superaccēdit, cruditatem parit, & concoctioni resistit. Sed si quis pro more illis uti velit, cōcedimus caprinos tanq̄; omniū saluberrimos, & qui pro sale cinnamomū habēt recens factos, et salis multi expertes. Ouis nō nisi tremulis in aquam calidā coniectis vtere, cinnamomo modico condiens, panem arancioꝝ succo aut quouis alio acido prætingens. Assa autem & ad duriciem cocta, pessima censentur. Sint igiť gallinaꝝ & recens nata.

4. rat. uide in morb. ac

De leguminibus.

Inter Cerealia semina primas laudes antiquitus habuit hordeum, siquidem lenis erat eius uiscositas, cōtinua, lubrica, iucunda; mo

dice laxa, sitim arcēs, ablutioni (si opus erat) peridonea, adstrictionis expers, in ventre nō exturgescens &c̄. Verum cū amiserit hodie præcipuas Hippocratis laudes (quippe ex eo parata ptisana insuauis, iniucunda, & si satis coquas, masticatione egens, non lubrica, & quæ flatum non abijcit) suspectum me facit, an in salubriū leguminum locum reponam, nec ne. Verum quanto illud bonitati accedit pristinæ, tanto in omnem uitæ usum utilius iudicato. Auenata, si rosaceum acetum redo/leant, optima censemus. Hāc enim omnibus leguminibus digestibiliorem ponit Oriba/sius. Lentes, quoniam flatum concitant, uen/tremq; sistunt, fabas item (nam & has ut/cunq; præpares flatulentum spiritū nunquā exuunt) non admittimus. At cum lentium pulmentū, prima decoctionis aqua abiecta, cortice detracto, aceto cōditum, ab omnibus probari uideam, nescio quid mihi hic persua deam, difficulter enim, præpares, coquasque has utut uelis, concitādi flatus naturā exuere posse credo. Constat temporis protractu ha rum usum frequentiamq; crassissimi corpori ingerere succum. Istuc recensetur panis, qui saluberrimi grani esse debet, optime fer/mentatus. azymus enim & qui leuatus non est, κακόχυμος existit. Curādum quinimo ne ui tiosis lignis coquatur, malitiæ enim addunt. salis modicum habeat, sitq; unius diei, non ca lidus. Leniores sunt de hordeo, secundo loco q de tritico fiunt. Quos aūt annonæ penuria premit, urgetq;, illis similaceū et ex spelta aue

li. de cōfec. ciborum.

C naq;

naque confectus panis non obest.

De piscibus.

Optimi habētur saxatiles, recens in flumīe lympido saxoso uenati, tales sunt, Scarus, merula, turdus, iulia, ficedula, perca: habent enī carnem concoctu facilem, & hominū corporibus saluberrimam, uerum odoro in uino, ut humidum exuant, decoquito hos, adijcito cū alijs speciebus acetū rosaceū, & punici acidi grana. Pestilentissimi sunt molles, et qui cum tangas lentorem glutinosumq; quiddā relinquunt, ut anguilla, umbræ, &c. Sed & illi qui in fluuiorum ostijs, & stagnantibus aquis capiūtur, quando in eas latrinarū, aut culinarum, aut balneorū, aut uestiū, ac linteorum sordes corriuantur. Vituperamus sale seruatos quot
li.2.ca.8. quot sunt. Tetinæ recētes Dioscoridi probāt. Inquit enim, aluo utiles esse, sed maxime, ius earū. Assatio quinetiā improbis piscibus malum auffert, præsertim si incisa corpora saluia repleas, & inter prunas liquido cōmixto (quod ex saluiæ palmulis, aromatib⁹ calidis, optimo aceto constat) madefacias frequentius. Commixtum quo nos utimur. ℞ cinnamomi electiss. unc. I. gingiberis albi drag. iiij. coriādri præpa. ros. rub. añ drag. I. S. nucis tæ. zedoariæ, cariophyllorū, odorati calami maceros galangæ añ scrup. ij. cardomomi, trium piperum añ scrup. I. croci, ligni aloës electi añ scrup. xv. Misce singulis singula, & in crassum puluerem tundito, saccharum pro libito adijcito, ne nimium tamen.

De fructibus.

Mala

Mala reposita & quæ moderate acida uel sub ardentiore sole matura decerpta sunt, malum habere non censeo, præsertim si cũ cinnamomi puluere, aut melissophylli folijs aliq̃t (ad exuendã flatulentiã, quam tũ magna ex parte amiserũt) diligentius fuerint cocta, uel frustatim incisa, dempto putamine, & odoro mansa ex uino. Cotonea et pira recenti mulso coquantur, torrida sacchare aspergant. Cerasia acetosa una cũ nucleo modice mansa, parũ obesse credo, sicut nec granata acetosa, & citria mala ac limones. Myrobalana, quã Chebulã dicũt, pruna et psica sicca, amaras amygdalas saccharo obductas, lotũ cappari & aceto conditũ, uuas siccas, austeras fabriles & pensiles abiectis internis brisulcis, fic⁹ maturas, & carycas, quas cũ hyssopo, pulegio, origano, nucibusue, adiecto acido, & ante reliquum cibũ mandere debemus. Infensissimi sunt fructus immaturi, & quæ humorem nociuũ non deposuerunt, suauia cerasia, & melimela .i. mustea mala, pruna, & persica recentia, uuæ, mora, pingues dactyli, suaues pepones, cucumeres, & quæ hisce agnata sunt, nã sine piculo non sumuntur. Quod si pro more sumendos contẽdas, alias aliud modice attingere & in primis mensis ꝓpinare decet, siquidem celeriter prtranseunt, alijsq; cõmode prætereunt in secũdis sumpsi mensis una secũ & alia in corruptionẽ trahũt. Cæterũ ut uno dicam* uerbo, ab omnibus praui & aquosi succi edulijs, stomachoq; aduersis, quãtũuis ꝓbe a nõ nullis cõficiant, abstinere in totũ consulerim.

Gal. lib. 2. ali. cap. de Cucu.

Clam enim ſenſimq́; longa dierum ſerie pra/
uus in uenis ſuccus ex ipſis ſuggeritur atq; ac
cumulatur, qui uľ leuicula putredinis arrepta
occaſione, febres ſæuiſſimas, & mire contu/
maces excitabit.

De Herbis & oleribus.

Lactuca, ſpinachia, lapathum acidum, tri/
folium acidum, domeſticum & ſylueſtre inty/
bum, hoc Cicorium, illud endiuiam uocant,
Borago, calidioribus temperaturis optime fa
ciunt. Permiſcemus hiſce aliquando menthã,
baſiliconem, hyſſopum, ſcabioſam, ſanſucũ,
meliſſophyllon, betonicam, roremmarinum,
uincetoxicum, ſuperaddimus etiam cinnamo
mi puluerem. Cucurbitæ uero uſum, quam
li. de peſti. cap. 4. κολοκύνθαν Græci dicunt, unus omniũ Chry/
ſippus in cibis damnauit, aridis autem & ex/
æſtuãtibus complexionibus a Rhaze admit/
Gal. lib. 2. alimen. titur. Verum ſi cum uoluptate capere, & nau
ſeam euitare cupis, ob aqueam qualitatẽ ſibi
innatam origano iunge. Salictarij lupi, cicho/
rijq; primæ palmulæ atq; thyrſi ſuperinfuſo
omphacio & roſaceo aceto manducantur.
Immerſionibus ſinapis neſcio an quid aliud
periculoſum magis. Acidorum ceraſorum,
ſylueſtriſq; roſæ denſatũ ſuccum, quẽ Robub
Arabes uocant, ſi odoro cum uino aut acido
quodam diluas, utiliſſimum cenſeto, non enĩ
ſalubriora embammata haberi credo. Locu/
ſtis item, quas Repunculos ſiue Napunculos
uocant, aceto et pauculo oleo conditis, prmis
in menſis utitor. Raphano uero & cepis, acri
buſq; omnibus parciſſime. Sed de cibis breui
ter

ter hæc dixisse sat sit. Ad potum itaq;, qui &
naturalis est et necessarius ut Plutarchus ait, *li. satur.*
sermonem conuertamus.

De potu, Cap. vij.

VInum album, uel ex albo flauescens,
lene, odoratum, subacerbū, mediocre
adultis & decrepitis innocuū, pueris
quoniam obledit insigniter, non offertur. Ru-
beum, odorum, lene, malum non habet. Pesti
lentiss. quod suaue, fumosum, turbidum. Feli
cissimus qui in poculis modum nouit, quiue
cum Euripide exclamat, εἰνῆς μοι, μέτριον δέ πως
εἰνῆς, μηδ' ἀπολίποις, hoc est, si latine reddas, eho
dum ad me, sed ne quid nimis, at temperate,
nec unquam mihi desis dulcis Iacche. Immo-
derata enim & quæ nunquam commendata
est ebrietas, tertiumq; illud & quartum po-
culum, quod nostrum non est, sed iniuriæ ad
pestilentis diaconis antra deducunt. Hilare-
scere tamen statis diebus permitto, quemad-
modum Mnesitheum Atheniensem medicū
fecisse intelligo. Sunt ex Arabibus medicis,
qui Baccho νηφάλια facere eo in tempore præci
piant, uerum nos credimus illos uehementia
& fortia multum uina intelligere, et preceptū
hoc ad Machumetos, ut quidam mecum sen
tiunt, tranferri. Eorum enim lege cautū erat
ne uina nisi in syncopi animiq; defectione bi-
berent. Potentes ignitum & excandescens
aurum in uinis, quæ pauloante probauimus,
sæpe extinguant, iubeant etiam Absinthide,
quod laudatissimum esse experior, ut parent
ministri siquidem egregie defendit nos, sto-

li.5.ca.41. macho etiã utile, ut Diosco. inquit, et tardam concoctionem accelerare facit, auxiliat hepaticis, fastidia discutit ac remouet, ijsq; quibus stomachus negotiũ præbet, salubre. Pauperibus & tenuioris fortunæ, posca non disconuenit, frigidos uero uentriculos lædit. Tempore nõ gelido aquis electis miscemus rosas et aceti modicũ, iulep uiolarũ, rosarũ, acidũ sirupũ, siue maliq; punici acorẽ aut cydoneorũ succũ.

De motu & quiete paucula,
Caput. VIII.

MOderatum exercitiũ, in uicinis duntaxat locis a cõcoctione ocyus aggrediendũ, tum enĩ spiratio nullo plane adficietur incõmodo. Vehemens aũt, & qđ lassitudinẽ inducit, quodue in lõginquis locis sub sole ardentiore fit, tutũ non esse censeto. Verendũ enĩ ne ad magnã anhelitus mutationẽ, ac pororũ corporis apertionẽ, hostilis sublatatur spiritus. Qđ si constaret, q̃ maturã olĩ mortẽ, quamue magnã mortalibus iniuriã ac incõmodũ ocia, desidiæ, ignauia, pigrities, attulerint, illa & execrareris, & damnares merito. Verũ quando opus non sit multa in præsens super hijs dicere, exeq̃mur motui & quieti annexa, quæ particularia exercitia dicunt.

De frictione.

Corpus uniuersum postq̃ probe descendit cibus, mediocri frictione excalfacito, deinde odoro oleo cõmixtis aromaticis pulueribus perunge, uerũ dũ facis hæc, extra aulæ tuę limites pedem eo die ne ponas. Ministris autẽ & astantibus, quibus per otia domi sedere non

datur

datur, ut omni die præsertim mane tepido ro/ saceo aceto membra perfricent præcipio. Mi/ scetur tamen fere semper, quibus neruorum cura est, ne conuulsione rapiant, uel alio quo/ uis malo, maluatici uini fortis parum.

Sequitur eam, quæ ex odoris unguẽtis fit, frictionem, pororum corporis apertio, & su/ perfluitatis omnis per transspirationem oc/ cultam purgatio, aliam uero, harum meatuũ qui aperiebantur antea, clausio.

De balneo.

Ad balnea, pro more, et quę ita apud te ino leuit ueteri consuetudine, rediturus, caue in/ primis ne pyriaterium, in quo plures admo dum mortalium confluunt, & repetas, & a/ deas, quandoquidem breuis uoluptatis gra tia, qui præceptum hoc a ueteribus etiam tra ditum floccifecere, magnam olim deposuisse felicitatẽ uidi. Quod si causam rimeris, disces cõmune esse omnibus hypocaustis, ut huma næ compaginis poros largius aperiant, cutẽ raram, laxam & mollem efficiant, deinde si frequentes, succos & commoueant & cor ob lædant. Verum quando nihil ad præcautio nem faciant, aptas pesti & faciunt, & digito quasi indicant fores. Quapropter si incõmo dum uitare cupis, bis ad summũ omni mense domi tuæ, digesto cibo, abiectis excrementis, & sudare, & lauare potes, decoctis in aqua odoris herbis, quę sudorẽ, concretosq; sordes pulchre & elicere & abstergere ualeant: facit autẽ id Chamæmilon, mellilotum, absinthiũ, citraria, Celtica spica (cuius decocto lybes

olim in lauandis corporibus utebantur) & quæ hisce similes sunt herbæ, mature etiam et in tempore, postquam fluentia detersisti, exiens sub tepida aqua in qua rosæ præbuliērit, uniuersum perfundas corp⁹, uel adhibita frictione mixtis rosati olei partibus. ij. nardini par. 1. aceti rosacei parte dimidia inunge. Veteres ut se a peste defenderent Oenanthino oleo, Paulo teste, a balneis usi sunt. At per parū refert qualia qualia sint, dummō odorata, & quæ patulos meatus optime claudant. Cautum est, ne corpus crudum, & cibis onustum, ac distentū, ad lauacra protrahas. Peringe enim esset quam si in mare deducas nauem putrem ac rimosam, iccirco & huius te monitum uoluimus.

Plutarch. li. sa. tu.

De venere.

Veneris immulcebres delitias ijs temporibus quibus pestilentia dominatur inprimis periculosas esse ac letales, Oribasius autor. Frequens enim concubitus, Ruffo teste, non tam corporis quā animi naturam dissoluit. Corpus quidem emaciando, et fortitudinem eius tollendo, animi uero intellectum perturbando. Sed hæc ambo debilitas sequitur, ne sciens infecti aëris qualitati aduersum ire, idcirco fit ut plures hac ex causa opprimantur & pereant. Mediocre autem concubium, & ut Paulus ait, noctis, sine noxa & damno. Plenitudinem enim uacuat, corpus auctum, leue, uirile, reddit. Et quod ad animum adtinet, rationis uim impeditam soluit, ingentes iras remittit, ad modestiam reducit insanientes,

li. Eupo-riston.

Paul. Aeginata. li. 1

tes, & morbis, quos pituita conflauit opitulatur, fastidientibusq; cibi appetentiã restituit. Verum in legittimos matricis cancellos semẽ transfundere Dominus mandauit, quapropter ne & illius immemor esses, monuimus. Ephes. 5.

De somno & vigilia,
Caput. ix.

MOnebimus hic paucis, ne & somni et uigiliarum modus ignoretur. Quemadmodum enim naturali instinctu assuefecit nos ea quæ in nobis est natura, ita eam ueluti duc m sequendam existimato. Diem uero uigilare, noctẽ dormire, suauesq; capescere somnos, conueniens est. Horum si mutetur quidpiam, malum esse Hippo. indicauit, commonstrauit etiam sæpe experiẽtia. 2. Aphor. 3. Nolo tamen ut Endymionis, Epimenidisq; somnum dormias, quemadmodum e contra nec longas agas uigilias. Laudatur in utrisq; mediocritas.

De animi affectibus seu parthematis, Cap. X.

CAptum curis & timore animumq; soluito, et in desideria si rapiatur, habenis laxis obsecundato, ne demissus in tristiciam, iram, aut furorẽ abeat. Firmant mentem charorum amicorum conuiuia (quę ciborum parcitate, animi tum lassitudine frequẽtant) ludicræ res, ludus, facetiæ, risus, historiarum, insignium uirorum, & nobilium matronarum placitæ commemorationes, citra nauseam tamen, Aesopicæ fabulæ & aniles,

musicalium instrumentorũ uiuæ uoces, soni, cantusue, quæ singula ut animum conseruãt ac reddunt, ita componunt perturbatum ac tabescentem. Lugubres uero ac tristes, & formidulosæ fabulæ, campanarum soni, & omnia quæ in phantasmata, mœroremq; descendere animum faciunt, summe uitanda: quando summe morbum pariunt, ac conciliãt. Est mihi Thucydides author: δεινότατον δὲ παντὸς εἶναι τοῦ κακοῦ, ἥ τε ἀθυμία ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων, πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθὺς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ, πολλῷ μᾶλλον προΐεντο σφᾶς αὐτούς, καὶ οὐκ ἀντεῖχον. hoc est, Grauissimum uero totius olim mali fuisse animi deliquium, dum quis laboris sui conscius, suum statim despondet animum, quippe longe seipsos magis perdebant neq; malo occurrebant.

li. 2. pelop- belli.

De inanitione & repletione, Caput. XI.

IMprobauimus fere semper ĩtempestiuas ingurgitationes, crapulas, & immoderatam, quæ circa cibum potumue, uitam. Nunc uero quoniam de inanitione sermo nobis est, nec extremam esuritionem, inediam, sitimq; experiendam consulimus. Laudatur in omnibus, aurea quæ in medio consistit Mediocritas. Socrates unico sobrietatis antidoto in Atheniensi pestilentia seipsum ab omni cœli impietate insuperabilem reddidit. Aliĳ uero uitæ castitate, uictusq; parsimonia morbos et præuenere, & extremam attigere senectutem, inter quos Antiochus medicus, Telephus Grãmaticus, Apollonius, Democritus

& Xenophilus ille Musicus, qui centũ & quinq; annis sine ullo corporis incõmodo uitã egit, autor est Plinius. Et plures alij, quos cõsulto iam præterimus, cum quia præsens memoria non est, tum quia recensere prolixũm esset. li. 7. ca. 5.

De alui officio.

Est insuper nec alui negligendum officium, sed ut accepta hæc reddat, inprimis studendum. Siquidem ab initio antiquorum Orib. teste, semper uisum est pro sanitate incolumi seruanda, ut uenter secundus diebus procuretur quotidianis, & inculpabilis urinarum emissio secundum ciborum aut potionum administrationẽ reddatur. Admonuit nos huius alibi sæpe Galenus, tum uero in tuendæ bonæ ualetudinis libris. Verum non euntem sponte, leuibus inprimis tentamus, irritamusq; medicamentis, quæ moderate, modeste, & sine tumultu illam deijcere & exonerare possunt. Myrobalanos tamen, & Thebaicas palmulas, quas Tamarindos uocant, quæue stiptica id uirtute efficere ualent, reliquis facile præferimus. Claudent enim simul & aperiẽt. Nec Damascena illa pruna, accepto a Damasco Syriæ monte in quo nascuntur, nomine, quũ ex blande aluum aperientibus, lubricãq; facientibus sint, increpamus, quamuis germana quoq; uirtute illis parum cedere uideam, si matura siccaue præduro abiecto nucleo quinq; sex & ultra cõmendant. Poteris etiã utraq;, adiecto saccharo medico, nã & huic subducẽdi potentia est, in purissima aqua decoqre, & mali punici grana supmandere, prandiumq; Eupori. li. li. 1. & 6.

differre

differre. Vuæ passæ pigues dēptis arillis vnciæ uni⁹ pondere mādūcant. Caricæ itē qnq; aut sex, & myxariorū uulgo Sebesten uocāt, septem numero pulpæ. Conserua florum boraginis & uiolarum purpurearum vnciæ unius pondere, rosarum item non soluti succus. Melina mala reposita, assata, & præsumpto tegmine saccharo aspersa leniter ad sellā ducūt. Sicut etiam gallinarū, capiq; & nigri ciceris modice salsa & parum pinguia iuscula, in quibus Cassiæ catharticæ recens extractum medullaceum vnciæ unius, aut drachmarum sex pondere dissolue, adijciens perpetuo et semp de cinnamomo electissimo, tertiam drachmę partē. Manna nobiliū medicamen est, & seorsim, æquali cum cassia pōdere sumitur, aut in caprino sero modice salito, mixto saccaro resoluitur. Sic enim fortius & ire, & proijcere uentrem faciet. Nec uiolaria herba ad mouēdam aluum impigra est, dummodo succū suū secum habeat, nō excocta. Bis namq; aut tertio, quemadmodū reliquæ remolliētes herbæ mutata aqua cocta cōstringere, laxaq; prohibere uidentur. Hæc singula reliquū cibū præeant, & prandium non statim, sed aliquanto post interuallo inchoētur, ad minus uero sesq horæ spacium intermediet. Oportet etiam uarie hisce uti, neq; uno tantum delecto, id perpetuo exhibere. Assuefacta nanq; (Galen. & Auicen. testibus) spatio sumētis natura, pharmaci uim omnem contemnit. Auerroes inter res optimas mollientes aluum posuit pilas Ruffi, de quibus infra. Desidendi autem &

Sa. tu. li. 5 pri. 32. ca. de cura aschma. 6. Colliget

meiendi

meiendi si nos incessat cupiditas, siue in publicis, uel priuatis actionibus agamus, nunquã negligatur, sed sponte euntem naturã eo quo petit & repit deducito. Poteris & uomitu grauatum uentriculũ abijcere, prolixos tamẽ caue. At quibus præsidijs secundus pestilenti tempore efficiatur uenter, iam dixi. Reliquũ est, quoniam sic se suggessit dicendorum materia, ut de peccantibus exequemur humoribus. Iam enim de ijs, qui succorum improbitate carent, præteritus est sermo.

De sanguinis missione.

Sanguinis missione, quũ uitæ hic & sedes & thesaurus sit, nõ omnes æqualiter opus habent, magis tamen illi, quibus plena, ampla, scatentiaq; uasa sunt, robustum, carnosum, rubrum item & pilosum corpus habentes. Quoniam hęc sanguinis dominium indicãt, ex media dextri brachij uena, præmisso mediocri exercitio, & lenium enematũ iniectione cõmodius auferemus. Verum liberalius paulo (si uires & reliqua illic pensitanda nõ prohibent) quam reliquo pestilenti tempore, arrepti enĩ ob acerbã crisim iudicationẽq; taliũ deinceps præsidiorũ nullum & postulant & admittũt. Reliquis opem tulit magnam etiã accessionis tempore uenæ sectio. Attẽdendum quinetiã, ne silente luna, interlunioq;, hæmorrhoidibus item & menstruis laborantibus, uel quando indigestio, cibiq; in uentriculo cruditas subest (quod intelligere possumus, si nauseantes uel eructantes uiderimus cum intestinorum hypochondriorũq; grauitate, inflatione, et mur

mure

mure)venam resecemus. Cucurbitulas autẽ præcisso loco adfigimus,intra spatulas quidẽ illas,quas communis uenæ, quam medianã uocant,utilitatem assequi uolueris: quæ uero supra nates paulo admouentur,id commodi quod regalis uena præbere uidentur. Sed illis hæ perpetuo, quibus uenæ apertio ob plurima utilis non est,conueniunt.

De reliquorum humorum purgatione.

Si uitiosi tamẽ succi,hicq; citra sanguinis copiam subsint, purgationẽ illico,quæ infestãti excremento fit accõmodata, petendam esse ex Hippoc. autoritate indicauit Galenus. Statim enim incipiente pestifera conditione,quæcunq;(inquit)corpora uidimus humida, statĩ quouis modo exiccare tentauimus : quæcũq; uero *li.1. de febri. ca.11.* sicciora,pristinam naturam in his custodiuimus : quæcunq; uero excrementis plena, purgatione sanauimus:quascunq; uero oppilationes meatuum, soluimus & aperuimus. Indicant autem hos turbati fere somni,& immaginationibus inquieti,membrorum insignis grauitas, & ea quæ in motibus est pigritia, tum cibi horror & nausea, turbidumq; lotium &c̃. Verum illos secundum Hippo. uere et autumno purgare oportet. Nam eodẽ teste, ὑπὸ κύνα καὶ πρὸς κυνὸς ἐργώδεες αἱ φαρμακίαι *6. aphor. 47. 4. apho. 5.* hoc est, Imminente atq; iam præsente Syriĵ tempore laboriosa sunt medicamenta. At cũ hæc perspicua sint,omnibusq; constet quæ ductiua quisq; humor malus habeat, non omnium (quoniam perlongum esset) sed mixto-

rum,

rum crudorumq; succorum cathartica, quæ blande non uniuersim trahunt ponemus execrantur uiolenta. Vtitor itaq; aggregatiuis sic dictis catapotijs, omni septimana bis scrup. ij. pondere ante cœnam cum syrupo conseruationis corticis citri. Eadem in dosi uel paulo ampliori pilas de quinq; generibus myrobalanorum exhibeto, uel tripheram illā persicam cum agarite, siquidem cum singulis respiciat membra, & internis omnibus uitijs conueniat, fit ut ab omnibus etiam membris leni quadam facilitate nocuum lentumq; & detrahat & deponat succum. Theriacæ secundum quosdam uirtutē retinens aduersus omne uenenum potentem, cordis mineras & fontes mire et roborat, et a ueneno expurgat. At quum malitia in uniuersum, quemadmodum cætera laxantia pharmaca, non careat, quoniam uentrem lacessit, fastidium progignit, & ad nauseam perducit, intestinisq; adhærens malum adfert, emendationis modum ponemus. Vini, quod maluaticum uocant libra. I. oxymellis simplicis vnc. ij. Gingiberis drag. iiij. salis gemmæ drag. ij. ʃ. Cinnamomi, galangæ, picæ nardi, florum boraginis & buglossæ añ drag. I. Decoque, cola, & infunde. xxiiij. horis Agarici in frusta dissecti vnc. iiij. deinde fiant trochisci drachmæ unius pondere. Sufficit aūt semel, bisue, omni heptomada, donec te satis purgatū agnoscas, talem pastillum in pollinem tritum (adiectis conseruis ut sit mixtura aut syrupis aquisue cōuenientibus, ut sint pilę) deuorare.

Quod

Quod si fortioribus prædictis egeāt, miscere hisce quæ iam diximus secundum abundantis humoris naturam alia atq; alia potes, præmissis cuiq; succo aptis conuenientibusq; digestiuis. Sequenti uero die a pharmaco theriacæ scrup. ij. uel si illa desit Mithridatici cōfecti drag. .1. cum aquæ rosarū Campestriū vncia. 1 & aceti rosacei modico deuorare ne negligas. Trahit etiam omnem humorē sine tumultu et immodestia, Sirupus de fumo terræ descrip. Nicol. Floren. cuius dosis in robustis vnc. iij. esto.

ser. 2. dist. 6. ca. 7.

De simplicibus præseruantibus,
Capur. XII.

Radices.

Sed inter reliqua quæ nos tuentur arma, clypeosq;, quib⁹ malo huic ueteres aduersum fuisse uideo, sunt pcipue illæ Angelicæ & Carlinæ uulgo sic dictæ herbæ (quam ego Cardinā potius, quoniā e carduorum genere sit, dictam existimo) radices. Enulæ item pampinellæ, Gentianæ, sigill Solomonis, tormentillæ, Magistrantiæ, Dictamni, Valerianæ, palmæ Christi, zedoariæ, morsus diaboli, Amborum been Aristolochiæ, & reliquæ, quas ubi nuper & recens admodū collectæ fuerint, ne situm redoleant, rosaceo aceto & lauare & immergere oportebit, tum tritas et in puluerem redactas drachmæ dimidiæ ad integrā usq; pondere summo mane deuorare necesse erit, hyeme uero cum odore uino, æstate cum syrup. aceto, citri, aut malorū granatorum acetosorū succo, quod si ore illas teneas, aërem æque & pellent & fugabunt infectū.

Herbæ.

Commen

Commendatissimi etiam habentur hyperici, vicetoxici, scabiosæ, Betonicæ, et pulegij pulueres, si omni die seorsim in ipsa aurora, uel quando suspectos aditurus es scrup. 1. pondere, hyeme cum melissophylli, aut scabiosæ, quam stæben appellant, aquis, æstate cũ acidi lapathi uel berberorum succo, deglutias.

Glycysidos uero & ocimi caryophyllati, Myrti item, citri, citranguli, limonum, cardui benedicti, scabiosæ, acidi lapathij, iuniperi, coriandri præparati, Angelicæ & Magistrãtiæ semina ore retenta, dentibusq; confracta optime nos & muniũt & defendũt. Virtute hisce nihil inferior censetur Hyacinthus, Sapphyr⁹ item, Adamas, Smaragd⁹, Margarita, Corallium, si collo, ut thoracem attingant, suspẽdas. Virtutem enim illorum Auicenna teste, qui in nobis est calor, manifestius actuat. Horum puluis optime misetur conseruis rosarũ purpurearum præmaturarum, Betonicæ itẽ, & florũ uiolarũ altiliũ (quos cariophyllos uocant, uulgo uero tunici herbã, qui odoris fragrantia & pulchritudine rosæ proximi) Diamarenate, Diacetosellate &c̃. De gemmis ad vnciam integrã conseruarũ sumuntur scrup. ij. de coralliis duplum fere, de pulueribus aũt radicum, herbarum, seminumq; prædictarũ drag. ij. ampliusq;, & hisce optime commixtis fiunt boli, quos ut sæpe docuimus, frequenter quoniam frequens est contagio, deglutire oportet. Myrobalani quinetiam saccharo conditi, comesti mane, tuentur nos egregie, et cerebrum mire corroborant. Idem faciunt cy-

Semina. *Gemmæ.* *de corallio Diosco. li. 5. ca. 130.* *Conseruæ.* *Condita.*

triј mali conditi cortices, meſpilorum item, a/catiarum & cotoneorum malorum ſaccharo conditorum fructus. At hæc omnia parce, nō affatim eſſe comedenda, neminem latere pu to. Nequaquam enim eis ut cibis, ſed ut medi camentis iam utimur, alioqui in. vi. quod eſt de cibis, capite, abſoluiſſemus hæc. Robub

Robub. uero arantiorum malorum, agreſte Berbero-rum, limonum, cotoneorum, acidiꝗ mali pu nici, & præſertim quod e ſylueſtri roſa fit, in/

Aquæ. tuta adituro loca, adiectis in hieme uicetoxi ci, calendulæ, betonice, meliſſophylli, men/thæ, in æſtu uero campeſtrium aut domeſtica rum roſarum, uiolarum purpurearum, & la/ctu cellæ, quam Cicerbitas uel ſonchon uo/cant, aquis auxilio ſunt. In lemnio uero ſigil/

Lemnium ſigillum. lo quam terram ſigillatam nominant, mira experieris, ſi in pila minutim, polliniſꝗ inſtar fract um, in campeſtrium roſarum aqua ſub mergas, ut humorem combibat, & ſua ſpon/te exiccetur, quo facto conteratur denuo, qua ter iam lotum & exiccatum uſui repone. Su/

Syrup. mitur autem mane ſummo ſcrup. I. quando ꝗ duo, cum redolentiſſ. uino, aut cum ſyru/pis Cichoriј, de ribes, de acetoſæ ſucco, agre ſta, limonum, acetoſitatis citri, de corticis ci/tri, malorumꝗ granatorum acetoſarum. Sed neſcio quale nobis hodie ſigillum oſtendant pharmacopolæ noſtri, nam non Dianæ, ſed Hecates τριωνοκεφάλου imaginem præbere ui/dentur. Hoc etiam paratum olim a ſacerdote ſemel lotum quodꝗ iterum ablui non exige

li. 9. ſymp. bat, Galeno teſte, accepimus, hodie niſi plus

ſemel

ſemel abluas, probum non habetur. Sed de lemnio ſigillo quid dicimus? uix aliud mirabilius præſeruatiuum Armeniaco bolo, de quo quid Paul. Aegineta citāte Galen dicat, audi. πρὸς τὰς λοιμικὰς σηπεδόνας, τὴν ἀρμενιακὴν βῶλον πινομένην, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν δι' ἐχιδνῶν θηριακὴν μεγάλην ὠφελεῖν. ἀμέλει κατὰ τὸν ἐν ῥώμῃ λοιμὸν φησίν. ὅσοις μηδέτερον τούτων ὀφέλησεν, πάντες ἀπέθανον. hoc eſt, ſi latine reddas, aduerſus peſtilentes putredines glebam Armeniacam potatam, pariter & ex uiperis theriacam magnā conferre. Aiunt enim Rhomæ quotquot neutrum horum præſidium ſenſiſſent, omnes oppetijſſe. Paratur autem eodem modo, ut ſigillata terra, & offertur ſummo mane ſcrupulus unus, aut duorum pondere, nunc cum redolentiſſimo uino, aquæ uitæ, modo cum limonum, acidiꝗ trifolij ſucco. Rure qui uitam agunt, & ab urbibus qui longius abſunt, Panem toſtum roſaceo aceto, aut agreſte ſucco infundāt, donec humorē combibat, recipiatꝗ paululū, deinde madefactum eximant, cinnamomo ſuperſparſo deuorent. Eſt uero omnium eorum quæ iam diximus uſus ſummo mane, uel interdiu, ſi ad conſueta munia, & ad neceſſarios uocatus redire opus fuerit. Atque hiſce, quæꝗ paulo poſt dicemus, præſidijs clypeiſue munitus contra biliosiſſimum hunc hoſtem contendere ne deſinas.

Bolus armeniacus. li. 2. de febri. ca. 35.

Pro ruſticis antipharmacū

De medica.compositis præseruan/ tibus. Caput. XIII.

Theriaca.

INter cætera qua sub compositorum præ cauentium caput ueniũt, nescio an priscũ illud medicorꝫ seculum in omni fere quæ apud illos erat pestileutia, Theriacæ antido/ to quid aliud sublimius præstantiusqꝫ habue rit,morbo enĩ hoccine insuperabiles cautos/ ue effecit, sæpe & arreptos liberauit ac resti/ tuit.De nostra,quæ ab ĩdoctiss. hodie passim ungentarijs conficitur quid pollicear, haud habeo, nisi quod eam ut ignauam, quoniam antiquos sui ortus fontes nescit,accuso. Boni tas illi probitasqꝫ nulla, ob inexplorata incer taqꝫ ex quibus antiquitus conficiebatur, sim/ plicia.Optima quæ pristinæ bonitati accedit, saporem in ore relinquens diu,annum bis sex tum nondum egressa, & in uenenatis anima libus sæpe experta. De illa itaqꝫ tanquã præ/ stantiore,mane primo,bis omni septimana, aridioribusqꝫ scrũp. I. pondere cum punici mali acore,frigidioribus scrup.ij. cum melis/ sophylli & scabiosæ aquis sufficiunt. Pueris nõ nisi grana v.& scrup.ʒ.ad summũ.Huius loco Mithridaticum antipharmacum eadem in dosi,aut paulo ampliori quam theriaca,of/ ferre potes. Interdiu uero parum quod cicerẽ æquet,ore frequẽter teneto. Pro delicatis fiũt tabulæ tales. Mithridatici confecti drag.ij. spetierum diambræ, compositionis Galeni quam lætificantem uocant añ drag.ʒ. diar. hodon scrup.I. Sacchari albiss. vnc.iij. cũ aqua acetosæ,fiant tabulæ paruæ & deauren tur

Mithrida tum.

Mixtura.

tur, de illis omni die una ſumatur. Mixtura et Bezoarticum meum, quod commendatiſſ. reperio, habet Armenij luti in campeſtrium roſarum ſucco abluti drag. vi. lemnij ſigilli eodem in liquore ſeorſim abluti, radicis angelicæ, tormentillæ, dictamni albi añ ſcrupu. ij. ſe. iuniperi, acidi lapathij, et ſcabioſæ añ ſcru. i. coralliorum rubrorum, ſandal. rub. roſarũ purpur. añ ſcrup. 5. cinnamomi electiſ. drachmam integram, croci, florũ meliſſophylli, ſicci ſyndonis crudi inciſi, raſuræ eboris, lapidum quinque precioſorum añ g. vi. foliorum auri. iiij. & argenti. iiij. Diamarenati, Conſſ. roſarum añ. vnc. iij. Robub berberorum vnc. ij. conſeruæ florum uiolarum, allilium quos Caryophyllos uocamus vnc. integram, cũ ſyrupo limonum acetoſitatis citri quantum ſatis, incorporentur, dein deaurentur. doſis drag. ij. aliquando diſſoluimus commixtum hoc cum uino maluatico, uel alio redolentiſſimo, ut ſit potio, aut horum omnium puluerẽ ſine liquidis toſto pani & aceto infuſo ſuperſpargimus, poterit tamen ſe quiſque pro libito hoccine antipharmaco ſæpe atque ſæpe præmunire. Nã præter id quod te a dracone illo cautum inculpatumque reddit, cordis mineras egregie confortat, & ad hoſtili illi mpreſſioni reſiſtendum proteruum facit. Alia mixtura habet, Radicis pãpinellæ, zedoariæ, pæoniæ, angelicæ añ ſcrup. ij. cinnamomi ſcrup. iiij. baccarum lauri, ſeminis citri myrti añ ſcrup. I. 5. foliorum rutæ ſcrup. iij. agallochi maceros, odoratæ nucis, ſandal. rub. & luteorum,

Mixtura mea.

Mixtura alia.

rosarum purpur. añ scrup. I. Corticis citri conditi vnc. I. Robub de ribes, & syluestris rosæ añ vn. iij. syrupi acidi simplicis, aut iulep ros. donec satis, ut sit mixtura & deauret. Idẽ est sumẽdi modus, eademq; cũ superiore uis.

Ruffi antipharmacũ

Ego uetustam illam Ruffi cõpositionẽ, propositimaq; tãq; ex Delphico oraculo missum, ita adoro & amplector, ut in præsens præterire neutiq; possim. Recipit uero Aegineta teste,

li. 2. qui est de fibrib. ca. 35.

ἀλόης μέρη β. ἀμμωνιακοῦ θυμιάματος μέρη δύο. σμύρνας μέρος ἓν τοῦτο λειώσαντες ἐν οἴνῳ εὐώδει, δοτέον ὅσον κυάθον ἥμισυ. δηλονότι καθ' ἡμέραν οὐκ οἶδα φησὶν ὁ ῥοῦφος ὅσις μετὰ τούτου τοῦ ποτοῦ οὐχ ὑπερδέξιος ἐγένετο τοῦ λοιμοῦ. hoc est si uertas, Aloes partes. ij. ammoniaci thymiamatis, totidem, myrrhæ partẽ. I. Dissolue in uino perodoro, & propina dimi/diati cyathi singulis diebus mẽsura. Nã haud noui quenq; (Ruffus inquit) qui hac potione pestẽ & non uicerit & suparit. Sed quũ aduersa huic seculo amara cognoscã, cõsultius age/tur, si aromatico cum uino aut agrestæ limonumq; succo catapotia informes parua. xx. e drachma una, & deaurate tres quatuorue ante cœnã, reliquoq;, quãdo scilicet circa assumpta uentriculus & hepar negotiũ non habẽt, omni fere tempore deglutiunt, æstate uero cũ acidis frigidiusculisq; succis. Auicennæ dosim (quoniam omni die circiter drachmam integram offerri iubet) nimiam esse censeto, nisi lentos crassosq; succos trahere uelis, nam & sic drachmæ sufficiet dimidium.

Catapotia

Pilæ meæ habent Armenij luti eloti scrupu. i. ij. phu, gentianæ, aristolochiæ añ scrupulos. ij. myr/rhæ

rhæ,se.acidi lapathij, pulueris diacorallij añ scrupulos.iij. Cinnamomi, calami odorati, zedoariæ añ scrupulus .I. Agallochi, croci añ scrupulũ ʒ. Myrobalanorum chebul. Embli. indorum añ scrupulos .iiij.aloes eloti vnc.I. ʒ.cum syrupo granatorum fiant pilæ, sumendi modus iam præcessit. Quod si frequens sit contagio, uide ut horum omni die ante cœnam,uel mane, frequens sit usus. Reliquo tempore scrupulus .I.semel in heptomada sufficit. Agricolis,qui ue in pagis ab urbibus longius absunt, sequens antidotus sufficit, quã in sanctuarijs Mithridatis maximi regis Cn. Pompeius inuenit. Habet nuces.ij.siccas,ficus totidem,foliorum rutæ.xx. simul trita addito salis grano,commisce, & qui hoc ieiunus sumit, nullum uenenum nociturum illo die. Aliud Amygdalarum suauium mundatarum .viij. ficuum aridarũ liuentium .iiij. foliorum rutæ .xx. granorum iuniperi scrupul. v. trita aceto rosaceo permisce,ut sit electuarium. dosis regalem nucem æquet,summo mane. Dictu mirum quid Theriaca antipharmacumq́ in thesauris meis repositum, seculo huic incognitum, in omni propellenda pestilentia possit, huius tamen descriptionem(tum quia prolixum esset,tum quoniam abunde satisq́ in superiori sermone de ijs quæ ad præcautionem faciunt me indicasse existimo) in præsens enarrare nolui. Communicabimus tamen optimis id quibuscunque amicis. Cæterum illius quoque meminisse oportet, ut syndone

Antidotus pro rusticis.

Plini. 23. cap. 8.

Alia.

Authoris theriaca.

ſinterpaſſatos ſequentes pulueres craſſe con-tuſos ſemper perpetuoq; pectori præfixos ge ras. Habent florum roſarum purpurearum forfice inciſarum vnç. ij. ſandalorum luteo-rum, Corticis citri añ drag. ij. Cinnamomi, caryophyllorum añ drag. 5. Agallochi, cro ci añ ſcrup. 1. Miſce. Sed περὶ τῆς προφυλακῆς hæc obiter. Nunc quoniam ſic nos inuitat tempus πρὸς φαρμακευτικὴν transſire oportunũ uidetur.

IOACHIMI SCILLERI DE PESTE BRITANNICA, SECTIO. II.

De Signis, Caput. I.



Igna quoniam per ſe manife-ſta ſatis ſunt, ſummatim per-curremus tantum. Habet autẽ inconſtãtes notas morbus hic: quibuſdam enim cum tremore & frigore, cæteris non ſine ar-dore mediocri increpuit acceſſio, cum capitis & dolore & grauedine, cordis pulſatione, nauſea, vomitu, ſomnolentia, ineuitabiliq; ſo pore. Hiſce & ſpiritus ægre trahitur, turbatũ lotium.

lotium, inquietudo & anxietas, sudores feti-
di, conuulsiones, & quæ memorata nunc nō
sunt, superintelligenda. Quibusdam omnia
hæc non simul, nec ordinate, sed seorsim mix-
timq; accidunt, Haliabate teste, idq; propter
corporum iam correptorum inequalitatem,
differentiasq; hoc tempore præsertim.

De curatione, Caput. II.

SEd iam ea quæ ad curationem adtinent
dicemus breuiter, nihil qđ circa languē-
tem factu necessarium sit omittentes.
Decet autem inprimis, probum candidumq;
medicum singulis exquisite perspectis, natu-
ræq; motu contemplato, ex Hippo. præcepto, Aphor li.
eo quo sæpe repit deducere naturam. Cum 1. 21.
igitur pestilentis huius materiæ euacuationis
admodum conferens locus uniuersa sit cutis,
curandum inprimis, estq; illud ex salubribus
præceptis præcipuum, ut recto tramite, hoc
est, per directum ad locum patientem natu-
ram proueham⁹. At quibus id modis, quaue
uia efficere possis, quam si peste sudoreue ar-
reptum strato si fieri potest, mox calido inij-
cias, stragula deinde non ex plumis sed molli
consuta lana obtegens, pellibusq; non graui
ter fouens, sicq; congrue ægrotāte locato, hoc
est, schemate competenti ad octauam usq; ho
ram plus minus iuxta uirtutis tolerantiam
strenue sudando ut decumbat urge, calorifi-
cis pannis fœtidi fluoris liquorē, ut mox alius
prorumpere profluereq; possit, absterge fre-
queuter, frigidi aëris ingressum dum fluenta
D 5 detergis

detergis cauens. Cæterorum usum frequentiamq́, quæ extingere & retardare laxa solēt (nam generalis hic canon est) prætermittens. Naturę enim obsidere magis, eiusq́ potentiā qui hæc facies impedire uideberis. Deinde diligēter obseruatis hisce præceptionibus, ministri siue astātes ubi singula maduerint, in aliū lectum excalfactum, & diligenter apparatū languentem tuto traducant, et studiose obseruent, ut ad reliquū tempus bis septem horis, in quibus Crisim suā absoluisse censetur morbus, quiescat & persistat. Quod si nec eo tempore, nisi quis bis septem dissecet horas, perduraturum se agnoscat, in propinquū stratū tuto collocari illū permittimus. Solutus quandoq́ breuiori spatio abijt: nonnulli enī duodecim, uix octo cæteri in uniuersum desudauere horis. Sed secundū humorꝝ in ebullitionē actorum superabundantiā & crassitudinē hæc se habent, partim etiam ob poroꝝ meatuūq́ angustiā. Hos omnes ut imperfectos semper damnauimus, quādoquidē nouimus plures, si morbo hoc deprehensi non satis sudarent, ī alios pessimos grauesq́ morbos (quēadmodū in ea q̊q́ quæ Athenis olī erat peste, Thucidide teste, factum legimus) transijsse, Sed sudoris ꝓductiua medica, deinde singulari capite dicemus. Monebimus hic robustos, et q̄bus de uirtute plꝰ satis est, fortiter ad fluorem urgēdos esse, minus uero imbecilles, quos ob uirtutis iacturam non tētabis, neq́ nimiū cōpelles, ijs tertiū stratū, cæteris secundū admisimus. Ne extrema præter caput frigori expādent

dent aduerte inprimis, & persuade ne breuis uoluptatis gratia omnem deponent salutem. Periculũ enim ingens, & uulgo compertũ, ne exposita contabescant, decidantue membra.

Quomodo cibandi sint, Cap. III.

CIrca cibũ ita te habeto, ut tenui semper uictu, præsertĩ si uirtutem spiritusq; sudore & uigilijs resolutos, abire cognoscas, utq; reliquo tempe melius persistere possit foueas languentẽ. Sic enĩ in robore, ne correptum dissolui cõtingat seruabis, tenuissimo autem si in uigore consistat iuxta Hippo. præceptum utendũ. Reliquos ut circa morbi con/coctionem natura ualẽtius operari possit impeditos sic dimittimus, minus enim ad conficiẽdos recens sumptos cibos distrahet, crisim q; exacti⁹ absoluet natura. Cõtusum sequẽs suaue erit & boni succi, cõfortatiuum, mediæ materiæ & opt. Cohortales pulli donec cõ/cidãt in aqua puriss. adiecto hordeo & cinnamomo decoquant, deinde saxea in pila conterant, tantumq; ex iusculo donec per pannũ colenda transeant superfundat, deinde offerẽ cũ ampliore. si mitior sit ardor, cĩnamomo, alijs rosacea cũ aqua contemperat. Eodẽ mõ se habẽt cæterorũ uolantũ teneriora contusa. Est etiã in hoc ordine ex auena cõfectũ tenui⁹ pulmẽtaceũ, qd' aceti rosacei parũ, si inclemẽtior febris esset habeat, & suauiũ amygdalarum lac electiss. itaq; recẽtib⁹, integris, optimis/que libre unius pondere, corticem calid. aqua perfuse, detrahito (nisi candidius magoq; albicans uelis, tunc enim frigida q̃uis tardius deponant, pfundere melius) in saxea pila aut

1. apho. li. ..

autpuriss. in uase ligneo pistello contunde in offas, aquam fontis quæ efferbuerit donec satis infundito, & ubi dimidiæ horæ spatio humorem hauserint, rursus & uehementius quã ante contundito, colando puriss. uase defluentia excipe, & subiectis carbonibus clementer coque, diligenter ne coëat, moue. Ex cinnamomo parum, postquam satis cõcoxisti, adijcito. & micam panis optimi digitis confricatam inijcito, Ex saccharo non nisi parum. Sorbile item omnium cum macere, cæteraq; talia opportuniss. admodum. Atq; hisce si opus erat & pro uirtute tantum parcissime cibãdos censuimus. Abeunte uero sudore, & direpto prælio, uictoq; hoste corpora alacrius nutriẽda Hippo. monuit, præsertĩ si extrema pressi sint esũritione, & gausabũde exultanterq; appetant, uiriumq; nihil reliquũ habeant, Cauentes ne ijs, quibus prius assueuere cibis seipsos infarciant, periculum enim. Oportet itaq; de longa fame ad capescendos cibos tardo gressu redire, ne lassam perturbemus naturam, ex ijsq; qui conueniunt eligere cautim singula, donec robur recipiat corpus, nam & tunc omnia mediocriter.

2. de ratio. uict.

De potu, Caput. IIII.

POtum quamdiu fieri potest expectet sitis, quemadmodum etiam fames cibũ. Deinde hordei aquam cum passulis & aliquot melissophylli folijs decoctam, si cum impetuosa siti aluus officium non reddat, dato. Vehementer tamẽ acida, ut sunt iulep berberorũ

berorum acetosæ, acidiq; grani punici succus &c. quamuis sitim arceant ac mitigant, sudores tamen facile retardant, quapropter parce in hordei aquam transfundito, ne euntes morentur sudores: pro febris tamen uehementia ne emarcescant languētes modo copiose, tūc uero modice dato. Leue uinum & odoratū, si mitior ardor sit, sudorem elicit & iuuat, Vehemens autē & forte inflammationi addit, & destituit nisi acido modice contemperatum fuerit. Confortat egregie temperatū, in quo auri fragmenta extincta fuerint, aluū tamē non ducit. Quibusdā etiam Sapphirū, cæterasq; gēmas poculis inijcere placuit, nec displicet, cum enim non iuuant (iuuare tamē credo) insigniter, bibentis tamen animum oblectant, qui confortatus ad cætera melius se habere cognoscitur.

De somno, Caput. V.

SAlubrium præceptionum id fere maximum est, ut obseruent astantes ne veterno pressi languētes, somnos capient longos & in ἰυωθρότηυ, hoc est, in inexpugnabile somni gen⁹ prorumpant, sicq; attracto ad intima ueneno animam & ponant, & uitam excedant. Vetabis affabulationibus, pulsibus nolis, capillorum & barbæ tractionibus reliquisq;. Nares frequēter acerrimo aceto quod contusos grosse caryophyllos recipiat, aut aqua rosata moschata inunges. Somnos tamē in tertio lecto, hoc est in fine defluxionis experiri largius liberaliusq; disces.

De

De alui officio, Caput VI.

IAcentes uero si incessat illos natura, nihil horũ retinere debent, nec ad solium ꝗuis breuis sit uia deducendi, sed suppositis calidis pannis spongijs ue & aluus & fluentia excipienda.

De sudoris tarditate, Cap. VII.

IMpeditos sudores mellilotí, et chamomæli, libanotidis quoqꝫ et Hyssopi in odoro flauescenteqꝫ uino decoctio promouet ac
sa.tu.li.4 soluit, quamuis suapte natura, Galen. testante, crassorum succorum extenuatiuum, meatuumqꝫ corporis aperitiuum sit uinũ. Horũ tamen uaporem per immissos intra stratum arundines, quæ corpus attingant, recipere necesse. Quod si id minus assequi potes ciere eliciereqꝫ tarda sequẽs Rhazes pota decoctio
li. de pestil. ca.7. potest. Habet ficuum aridarum liuentium xxx. vuarum aridarum sine interioribus granis vncias. ij. aquæ libras. iij. ebulliant clemẽter & leniter quoad liquefiant, & profer languenti ad libræ dimidium tribus prolationibus foue prius indumentis calefaciendo, ut diximus. Sed uix aliud est, quod uenenũ magis extrudat & ad poros reponat angelicæ radicis puluere, si drachmæ unius pondere, cum libanotidis aquis sumatur. Multo fortius uero, si cum theriacæ drachma semis. Aliud, quod habet Mithridatici confecti vnc. 5. croci scrup. I. Betonicæ siccæ, radicis angelicæ añ drag. 5. specierum electuar. liberãtis dulcis, diambræ, compositionis Galeni quam lætificantem uocant añ scrup. I. specierum tria

sandalorũ

ſandalorum, diarodon abbatis añ ſcrup.5. Confectionis illius quam manus Chriſti per larum uocant vnc.1. Sacchari candidiſſ. vn. iij. Aquæ uitæ .q. 5. fiat confectio in tabulis, & deauretur. Aſſumat pro uite rotulam unã, quoniam & abijciet fortius, & uires cum hoc corporis laſſas reficiet: lapis uero ille qui Perſis Bezoar, id eſt, liberans a ueneno dicitur, granorum .xij. pondere, Arnaldo teſte, omne uenenum per ſudorem deponit. li. de uenenis.

De virium corporis aliquot confortatiuis & reſtauratiuis, Cap. VIII.

FVgitiuos a ſudore ſpiritus, laſſatamq; naturam ſequens mixtura reducit. Habet conſeruæ roſarum purpurearum antiquæ boraginis añ drach.v. confectionis huius quam manus Chriſti cum fragmentis uocant drag.iij. cinnamomi electiſſ. agallochi, coralliorum rub. añ ſcrup.1. foliorum auri.vi. de acidi grani ſucco .q. 5. fiat mixtura, quæ deauretur. De hac ſæpe propina, uel ſi cordi eſt, placetq; diſſolue hæc in aqua decoctionis redolentiſſ. cinnamomi, & ſit potio.

Quod ſi ultra aliquid pro uirtutum inſtauratione deſideras, egregius eſt tibi hac in re autor Marſilius Ficinus, quem ut ſtudioſius euoluas uelim. Magnum eſt, quod de Democrito Diogenes Laertius prodidit. Cum enim iam ex ſenio deficeret, & propinquus uideretur occubitus, merentem ſororem quod illo in celebritate cereali mo- li. de uita. 2. ca. 10. li. 9. de philoſop. uir.

rituro

morituro ipſa deæ vota exoluere nequiret, bono animo eſſe iuſſit, paneſque calidos ſibi quotidie afferre, eos igitur naribus admouẽs, vinum ſe dum ea tranſiret celebritas ſeruauit. Vbi uero dies illi tranſierunt, tres autem erant, quieto ſinu concluſit uitam. Optime etiam in refocillandis uiribus ſequentes ſunt tabulæ. Habent carnium pulparum caponis iuuenis aut aſcellarum perdicis libram dimidiam, pinearum in aquis ſamſuci infuſarum vnc. I. cinnamomi electiſſ. drag. iiij. ſpecierum diambræ, diamoſchi, aromatici roſati añ ſcru. I. Carnes in pilam cõijce, & ligneo piſtillo contunde, contuſis, ſpecies admiſce, et confice bolos longos, quos morſulos uocant cum vncijs duodecim albiſſ. ſacchari in meliſſophylli aquis diſſoluti, deaurentur. Vtere hiſce aſſidue & audacter, uires enim perditas facile repetes, & in cæteris uitæ munijs melius te ſemper habebis. Reliquum eſt (quoniam actionis circa languẽtem modum breuiſſime me abſoluiſſe ſpero) ut ualeas, boniq; conſulas, & rem Deo opt. max. qui uerus medicus eſt, committas.

DE PESTE BRITANNICA. FINIS.

ALEXANDRI BENEDICTI VERONENSIS PHYSICI CONSVMATISS. DE PESTILENTI FEBRE

Liber vnus, in quo sane compendio omnia quæ de eodem morbo dici possunt, doctiss. sunt tractata.

AMPLISSIMO, VERAEQVE NOBILITATIS CORYPHAEO D. LAMperto Megaret, illustriss. Christianissimoq; Gallorum regis consiliario in generalibus bellis principi legato, Albanus Torinus S.



Vanquam innumera quædã argumento esse possint te magnifice D. Lamperte, nullo nõ genere laudis digniss. uel id quoq; inprimis, quod e tanto præstantium uirorum numero, quibus hac nostra ætate Gallia floret, Celtarum rex vnus omniũ regum, citra cõtrouersiam Christianiss. Eruditiss. Munificentiss. omni deniq; virtutum genere cumulatiss. tũ in consiliarium suum, tum in generalibus bellis ueluti principem legatum, tum ut semel dicam, in eorum album quorũ prudentia, consilio acerrimoq; iudicio imperij sui gubernacula moderẽtur, acurate selegit. Hulderichus tamen Choelius, non tam in omnis Medicinæ facultatibus nemini secundus, quam aliarum quoq; artium disciplinis instructiss. exactissimoq; iudicio præditus, tuarum virtutum buccinator egregius, tantis tamq; eximijs M. T. exornat elogijs, ut ne Momus quidem facile quicquam in te reprehenderit. Nam te moriũ

honestate, uitæ integritate, comitate, iustitia, candore, fide, & liberalitate denique, qua uelu ti unicus nostri seculi studiorũ Mecœnas bo narum literarum cãdidatos inuitas ac foues, reliquos quotquot sunt mortales multis pa rasangis præire toto constanter pectore asse rit, & contendit. Ea inquam is de T. D. prædicauit, ut mecum sollicite meditarer, qua me ratione tanto heroi, Musarũque mecœnati insi nuarem. Destinabam itaque euestigio, splendi dius hoc, in quo etiam dum (uel locupletiss. Chœlio teste) uersor, nec tanto heroi ac patro no indignum opus, tuo nomini dicandum, quo testimonium studij erga te mei exhiberẽ, quod quidem partim tua in bonos omnes, ne dum in eos, quos cognoueris literarũ cogni tionem, cum morum honestate coniunxisse, reliquis comitata uirtutibus liberalitas, quã equidem hisce nostris oculis magna ex parte conspeximus, & bonam quoque eius partem re ipsa anno superiore apud Thermas Helue tiorum, quum eo a Basiliensibus aliquot ac cersitus Medicus essem, sensi. Partim nunc de nuo præclarum illud Chœlij de te iudicium, excitauit. Cæterum moræ admodum impa tiens non potui non animo interim meo, uel utcũque obsequi. Proinde hoc cũ nuper a fœdissi mis, quibus scatebat, mẽdis uindicassem opu sculum, uisum est tuis præclaris uirtutibus cõ secrare. Hoc enim qualecunque xeniolum, si nõ perinde splendidum (quanquam nescio an quid hic desyderes) certe haud quaque impor tunum fore sperabam; tum quod uidebam

Ioachi

Ioachimi nostri de peste Britannica libellum admodum prima quidem fronte exiguum, at si penitus inspicias, magnum atq; fecundum, tuos adire penates, non absurdum putaui, si germana sua comite ueniret, præcipue quum illa sæuitiam suam nec dū posuerit, hæc uero recens quoq; ingrassari cœperit: tum quod artis Peoniæ studium T. M. inprimis arrideat, cuius quidem scriptores auide animaduerto abs te efflagitari atq; coëmi. Tum deniq; & ob id quidem maxime, quod te propter auitas illas dotes, præsertim eruditorum patrocinium, non tam uita, quam secunda & Socratica ualetudine, digniss. iudicabam. Præsentiss. quippe hij gemmini libelli & clypeum & antipharmacum, quibus geminos Dracones cum præcauere, tum arcere possis, præstabunt. Nam per Apollinem de peste nihi exactius, neq; elegantius, neq; magis Atticum quicquam reperias, quam quę hic Alexander Benedictus Veronensis super ea memoriæ cōmendauit. Accipe igitur fronte exporrecta (animum potius quam munus respiciens) exile illud, ut meis quidem uotis, ita & meritis tuis impar munusculum, ueluti arrabonē donec legitimum debitum persoluere conce datur. Vale, & hanc nostram qualemcunq; opellam boni consule, meq; mutuo semper amore amplectere. Basileæ. xij. Calend. Iunij, An. M. D. XXXI.

DE DIFFINITIONE PESTI LENTIAE AC VVLGI METV, CAPVT I.



Iximus de his febribus in putride materie genere quas acutas simpliciter uocauimus, nũc transeundum est ad id febris genus acutissimum, quod pestilentiæ casu euenit, subitoq; plurimos rapit uario affectuum euentu. Quibusdam bubones siue inguina innascunt, uel pustulæ minutæ liuẽtes, uel quæ cutem, ueluti sugillatione conuariant sæuiente flamma, interdum laxato permissoq; calore, medicos securos facit, ac deinde hominẽ necat, magna vulgi trepidatione, quo tempore quisq; anxi⁹ sibi timet, alios uehementius turbat metus, & in sæuam impietatem transfertur omnis clementia, a parẽtibus filios sæpius desertos, contra pietatis atq; sanæ mentis nimis iura uidimus. De fratribus, vxoribusq; innumera exẽpla sunt, ne contagione labefierent in qua formidine arti medicæ fere locus non est, pauciq; sunt ex medicis nostris, ac poti⁹ nulli, qui visere huiusmodi ægros audeant. Audiuimusq; quosdã antidotis suis eo tempore male tutos fuisse, alios uero sola audatia (nõ semper enim laudatur secura temeritas) in cura rapinæ gratia, perseuerasse. Dira etenim quãdoq; res est, diuinoq; fato mortalibus ob merita nostra, uel principum noxa cœlo dimissa,

quæ

quæ ſubito caſu vrbeis prouinciasq́, unde epidymia uidetᷣ appellata, inuadit, cœca, incerta inconſtans, uaga, inexorabilis, ſine lege fures, quoſcunq́ inuenit obuios rapit, nullo nobilitatis plebiſue diſcrimine, ab oriẽte deniq́ uſq́ ad occidentem plagam repentina peſtis cunɫcta inficit. Et nobiliſſimas quãdoq́ vrbeis exhaurit, regionesq́ potẽtiſſimas, & regna ſubuertit, veſtigiaq́ prioris habitus in totum aufert. Ad animalia q̃q́ ea lues, arboresq́, quã nos ſyderationem, ἀστροβολισμὸν Græci uocant, tranſit, nam & terræ fruges, arborũ fructus, piſcesq́ mortifero inueniuntur elemẽtis tabefactis exitiali ſydere Saturni & Martis coitu, in ſede Virginis aut Gẽminorum lunæ ſoliſq́ defectu, cæterisq́ circumſtantijs adiectis ſyderũ diſciplinæ notis, de quibus in præfatione diximus. Vtinam hoc anno qualiacũq́ fuerĩt aſtrorum prognoſtica, irrita & uana fiant. Hoc malum miſerabile mortalibus ita euenit ſubito, ut plurimi ſine febre inter domeſticas aut forenſeis actiones, uł publica negotia .x. horarum ſpatio, quidam .xx. ſine vrinæ pulſusq́ venarum certo ſigno, in templis, in via, in publicis officijs, ex inſperato rapiantur. Ita miſeram humanæ ſuperbiæ ambitionem oſtendit ſæua pernicies, ut homo interdum lætus, iucundus, ac ſecurus, leni temporis momento ſtatim cadat. Hanc inprimis violentiam Deus opt. pientiſſimuſq́ auertat, in qua neq́ fuga, neq́ peregrinatione etiam longa quiſquam tutus eſſe poteſt. Sed ſupplicationibus, votis, ac expiationib⁹ dũtaxat

locus est quibus uitæ pestilentiam repercuti-mus uel submouemus, uel aliquando diferi-mus. Galenus refert authore Thucy. in libris quos de affectib⁹ inscribit. Omnes qui ex A-thenarum illa famosissima pestilentia euasere obliuionem cœpisse, & amicorum & paren-tum, & quosdam sui nominis, alios oculos a-misisse, alios manus, nonnullos ipsa verenda, alios lymphaticos per urbem oberrasse, quod nisi ex magna corporis iniuria fieri nõ potest. Scimus quosdam uespillonum manibus ad tumulos tractos semiuiuos, alios ex nobilib⁹ quibus anima adhuc in cordis latibulis delite scebat, in sepulchris conditos fuisse. Vna ex magnis matronis hoc modo sepulta, paulo post uisa est mortua: tum quæ sedens & emo ta loco ĩter cadauera reuixerat, euulsæ comæ, dilaniatũq; vngue pectus maiori inditio fue-re. Heu quotiẽs uiua inter mortuos ne quicq; superos inuocauit. Non est præterea facile in-ter tam periculosa & ingentia mala non desi-pere, hinc de cæteris pestilentiæ causis concisa quadam ratione dicere incipiamus.

De pestilentiæ causis Caput II.

HVius mali uariæ sunt causæ, ut diligen-tiores Physici tradidere. Aëris enim in temperies vi quadam venenata, regio-nes & cæli tractus ingentes infestat, syderum errantium tabifico influxu, qui nobis circum fusus per respirationem cordis uitalia lætali-ter subit: alij etiam per cutis meatus cui spiri-tus sanguisq; commoti protinus accurrunt,

quibus

quibus infectis febris exinde pestifera oboritur. Prelio quoq; sanguinolento strageq; facta numerosissima, spiritus exitialis (ut Gale. scribit) regionibus propinquis pestilentiam inducit. Constatq; Aphricam insigni quondã pestilentia debilitatam fuisse, quam locustæ innumerabiles immersæ mari, & ad littus rejectæ putrido uapore excitarunt. Post item magnos terrarum motus pestilentia sæpe orta est diro & in profundo latente uapore, qui pigritia, longo situ, & æterna nocte torpescebat, hunc postea purum aërem liquidumq; infecit ac polluit, vnde nouas febres attulit paucisq; notas. Quales Venetijs olim fuere quib⁹ grauidæ omnes abortum fecere, quæ mox eodem anno peste primæ interiere. Ex stagnis q̊q; obscenos uapores exhalantibus aër corrũpitur, qui late exinde suum uitium spargit. Infodiendisq; puteis, sulphuris quandoq; uena aut bituminis reperta spiritus noxij, pestis anhelitum emittunt, & occupatis statim naribus extorquent animas nisi quis fugæ uelocitate sibi succurrat, quod & in metallorum cuniculis contingit. Quidam & unius draconis anhelitu fieri posse arbitrantur, quod fabulosum reor. Præter has causas aër quoq; ex se suis qualitatib⁹ adiectis male afficiur. Vnde Paul. Aeg. inter medicos autor egregius omnes qualitates in aëre noxias inueniri posse affirmat, quibus humana habitudo in hunc morbum prolabi potest. Caliditas uero addita exundanti humiditate quæ et elementi quãdoq; corruptam substantiam sequitur, cæteris P. Aegineta.

qualitatibus nocentior eſt, & febreis peſtilen teis affert, puſtulas minutas ſiue uaros, quas epinyctidas nonnulli uocant, a nocte dictæ in qua maxime proueniunt, & boam papulas ardenteis, eam in pueris exanthematis generali nomine Græci appellant .i. cum tumēt accenſo rubore corpora, morbillos quidam uocant. Inguinum præterea, alarum, fauciū, auriumq; abſceſſus, uariasq; in membris inflāmationes exitialeis inducit, aliaq; morborum genera. Peſtilentia quandoq; apud nos hyemis ſeuis frigorib⁹, ut Aegyptijs ſummis feruoribus, & cæteris orientis populis, reſoluitur. Ita enim repercutit aëris vis terra. Siccitas interdum nimia peſtilentiæ cauſa fuit, qua cęleſtis aqua non modo deffuit, ſed terra quoq; ſiccior reddita eſt, unde perennes amnes defecerunt, ſtrages, ſiti pecorum morientium, uiſa eſt, uulgatiq; attactu homines inuaſere morbi, et primo agreſtes, ſeruitiaq;, mox urbeis impleuerunt. Et Gallica pari modo caſtra, Liuio teſte, pro cadaueribus cremandis ab incendijs torrida, & uaporis plena peſtilentia correpta ſunt. Aquæ item peſtilentes quæ in abdito latent, & quas uſus non exercent, aut nunquam aër liberior verberat. Craſſe itaq; graui caligine, ſempiternaq; nocte, peſtiferum in ſe corporibus noſtris habet uenenum. Idq; uitium magis atq; magis ingrauescit mora, q cum exit, regionis noſtræ aëra infuſcat. Vincuntur enim meliora peioribus, Annei Senecæ ſententia, unde monſtruoſa morborum genera, & nouis orta cau

ſis

ſis, nec prius ea peſtilentia deſinit, ꝙ ſpiritum illum grauem exerceat laxitas cœli, uentorũ/ꝗ iactatio. Et publica præterea fame peſtilentia ſæpe oritur, quæ contagione adeo interdũ ſenſim increſcit, cœli mala qualitate ſeſe ſubſcribente, ut ſæpe ſyderibus a pleriſꝗ cauſa aſcribatur. Peſtilentia plurimum ultima æſta/te contrahitur, cœli tenuitate ita diſponente, qua tamen citius remittit uiolentiam. Ediuerſo craſſius cœlum initio reſiſtit, tardiuſꝗ inficitur, infectũ uero diuti⁹ uitiũ retinet qđ multarum rerum exemplo cõfirmatur. In ſumma igitur cœli circumfuſi, malæ qualitates, humana corpora non diſſimilis naturæ facile corri/piunt, febreisꝗ peſtilẽteis inferunt, quę ab humore nomen accipiunt, aliæ ſanguineæ, aliæ colericæ, aliæ melancholicæ, phlegmaticæꝗ dicuntur, hæ poſtremæ raro eueniunt, ob id aſtrorum periti febres ſanguineas, aliquando colericas aliquibus annis prædicant, aſtrorum ratione ita demonſtrante.

Qua ratione humana corpora inficiantur. Cap. III.

QVatuor cauſas ſapientes conſiderauere actioni cuius neceſſaria s, agentis legitimas uireis, patientis diſpoſitionẽ, propinquitatem utriuſꝗ ac moram, quo reſpectu alia alijs minus afficiũtur corpora. Et ſi recondita vi ſyderum uel aëris quoꝗ circũfuſi, ſubſtantia tabefacta peſtilentiæ omnium ſæuiſſima affuerit. Qua ratione nonnulli ſubito concidunt, aliqui indies protrahũtur,

aliqui

aliqui conualescunt, & si pauci reperiantur in tanta pestilentiæ reputatione pari modo, & qui per pestilentes tractus transeunt, uel contagione offenduntur, inuenti tamen sunt ætate nostra qui extrema senectute rapti sunt, q̃ prius iuuenes in maximis pestilentijs tuti fuere. Variæ enim causę sunt, ex quibus uarij effectus proueniunt. Mirumq; vestimenta lanea præsertim hanc pestem diu conseruare. Audiui patris mei ætate in Veneta urbe culcitrã pestilentiæ tempore suspectam, in interiores domus partes cuiusdam Patricij eiectam ac post septimum annum requisitam, quam materfamilias discuti iussit, longo enim situ in abdito loco uirtus uehementius contraxerat, quo serui protinus subita peste correpti sunt. Constatque plebem ac seruitia hisce malis esse obnoxia ratione physicis manifesta, contagionemq; exinde exortam, qua maxima nobilitatis pars sublata est. nec plures lintres ex publico decreto unquam decretæ sunt ad cadauera deferenda, quam eo tempore in quo nec sepeliendi fere modus, nec sepulturæ locus erat.

Historia

Qui magis pestilentiæ virus sentiunt, Caput IIII.

CAusas breuiter complexi sumus, quibus communis siue uniuersalis morbus populos & regiones exitialiter euertit. At nunc corporum uarietates, sexus, ætatesq; dicemus, quæ hac tabe magis minusue periclitari solent. De anni temporibus supra memorauimus. Corpora igitur quæ integra

tegra

tegra ſunt, diſpariſq; cum aëris natura proprietatis, quæq; rectam uictus rationem obſeruarunt, cibo, potu, venere, ſomno, exercitatione, & his ſimilibus (ut Galen. demõſtrat) in peſtilentia tutiora ſunt, in quibus humores cõputreſcere neſciunt, præſertim ſi excrementicij corporis exitus meatusq; adaperti ſunt. His oppoſita collectio eſt per ſe nota. Culpata ſcilicet corpora nimium humida, uel ſimilis cum cœlo corrupto naturæ opilata, luxuriantis gulæ, ocioſa, laſſæ veneris, malæ temperaturæ, quæq; humecta ſunt, quottidianis balneis, repente eo morbo corripiuntur. Quæ rurſus nõ integra ſunt, ſed aëris correpti qualitati contrariam naturam habent, minus cõflictantur. Sanguinea etiam robuſta & quæ colerica dicuntur, cutis laxioris cum plurimũ peſtilenti febre magis infeſtantur, quam quæ phlegmatica ac melancholica dicũtur, noxio præſertim cœlo. Viris magis quam fœminis aliquando id malum contingit, quandoq; e diuerſo. Colerici item ac melancholici peſtifero cœli tractu minus afficiuntur, minus enim humoris uterq;, minuſq; melancholicus caliditatis habẽt, atq; his inprimis duriora ſiccioraq; membra ſunt, q̃ & ſenectuti contingit, quę ob id huiuſmodi cadauera atq; ægros impune attractare uidentur, & ſi meatuum anguſtiæ, Galeno teſte, plurimum obſint. Peſtilentes enim febres opilatione quã emphraxin Græci uocant, quæ ſanguinis & aliorum humorum ebullitionẽ excitat, citius proueniũt. Denſa igitur corpora eam ob cauſam deteri-

ſe ha

Galenus.

ἐμφραξις

ſe habent, quibus meatuum laxitas remedio eſt, qua vis tabifica ex præcordijs exhalare ſolet. Sed inter cætera hoc mirum eſt animalia nonnulla cum homine eadem tabe, quæ ex aſtris euenerit corripi, quædam non attingi. Contagia quoq; ad alterum genus tranſeunt, quandoque non procedunt, nec vires ampliant diuerſitate naturæ ita ferente, peculiaris enim rebus proprietas eſt ueneni uiribus contraria a cœlo & a principio genitali diſcordia repugnante, hanc ἀντιπαθίαν Græci uocant. Ex eodem uero genere facilius contaminantur ſolo contactu, ubi habitudines non diſſimiles ſunt, Συμπαθίαν hanc appellauere, hoc eſt concordiam, & conſimilem in rebus naturam. Hinc ad auguria tranſeamus.

De præſagijs ſiue prognoſticis futuræ peſtilentiæ, Caput V.

PEſtilentiam arguunt inprimis, quas ſupra memorauim⁹ cauſæ, Lunæ, Soliſq; principalium in orbe ſyderũ defectio, uel quorundam peſtifer coitus, aut malignus ſtellarum aſpectus. Comætæ item ardentes uel lampadas in cœlo alijs fixis ſtellis ſubſcribentibus, faces & iacula ardentia, longiori limite bolides, aut ipſi⁹ cœli hiatus, qđ χάσμα Græci uocant, aut ſydera ueluti cadentia, &

alia

alia huiusmodi cœli monstra, quæ significare tantum futura existimantur a plerisque. Nec cœlestia semper signa statim minas exercent sed annum totum uel sequentem interdum suspectum faciunt. Caligines quoque frequentes, crassæq; maiorem pestilentiam prædicunt, quas Euro, Notus, uel Auster (ut Aristoteles tradit) cogit, nec sol postea discutit, quo diuturniores eo magis suspectæ sunt. Ver item frigidum, ac siccum, æstate calida ac humida subsequente, aut nimium pluuiosa, teste Hippocrate, siccitas quoque anni immoderata, qua perennes fluuij deficiunt, hoc malum minatur. Carbunculi item (ut Galenus scribit) bubones, varique, qui infantiam infestent frequentiores, idem denunciant. Sique diei interdum mira ac spectabilis serenitas, quam repentina caligo occupet, aut sol ipse caliginosus cum quodam tepido uapore oriri cernatur. Nam & animalia sua prognostica faciunt inter insecta, & immunda pulices, cimices, muscæ, & alia huiusmodi tedia, quæ supra modum apparent. Ranæ quoque, quas scincoidas uocant, numerosiores quam par sit, aut locusta enata, putrificam materiam uberius indicante natura, aut alia quæ intra uiscera terræ degunt, si cubil a sponte deserunt, ex imis terræ partibus id malum oriri sentientia, uaticinatione naturæ sæpe probata. Oues eadem de causa, quæ mollioris sunt naturæ, Annei Senecæ uerbis, & quia propiora

Scincoidæ ranæ

terris

terris ferũt capita flatus diri aëris circa ipsam humum statim excipiunt, qui si maior exit, hominibus quoque est exitialis: sed illum interdũ copia aëris synceri cohibet antequã, ut ab homine possit trahi, surgat. Et auiculæ pari modo cęli tractu corrupto, inchoatos in nido pullos destituunt, veridica pestilentiæ prædiuinatione. Canes quandoque seua rabie actu pestem portendunt, qui, Homero teste, cum aliis nõnullis animalibus prius pestilentia corripiuntur, quæ postea ad homines transit. Hæc diximus ut etiam indoctum uulgus sua habeat signa, quibus sydera in cœlũ errantia suspicere minus licet: Hinc ad obseruationes pestilentiæ transeamus.

Iliad. a.

Obseruationes in pestilentia, Cap. VI.

FAtalis igitur pestilentia, quæ cœlestiũ syderum prognosticis, ac his quæ ex elementis sunt, indicatur, diuina plerunque ulciscendi uindicta mortalibus ob merita dei mittitur, & a summo deo suspensa quandoque relinquitur, ob preces admotas, uotaque suscepta, quibus salus publica regionibus multis restituta est. Hæc prima sint nobis præsidia quibus nulla præsentior medicina habetur, id sæpius uiderunt maiores nostri inter religionis Christianæ exempla admirabilia. Deinde homo cum securus esse non potest, peregrinari primum atque longius ire uel nauigare debet, uersus pręcipue Aquilonẽ, Septentrionemue, ubi id non licet saluberrima cœli pars foris deligenda est, quæ in Septentrionem spectet,

aut in

aut in occidentem, orientem, uel in contrariã ingruentis pestilentiæ partem, ubi maxima sit salubritas, quam ex incolarum etiam robore deprehendimus, si fauces bibentiũ puræ sunt, si oculi & caput integrum est: si in pulmonibus aut thorace nulla est, aut rara causatio. Locus quo altior est, quoq; magis perflatilis, eo salubrior existimatur, nisi pestilentia aëris uitio fuerit, ut quibusdam placet, valles ob id vitandæ sunt, paludes quoq; damnantur, ex quibus noxium uirus, æstiuis caloribus eructatur, & natricum serpentiumq; pestis, hyberna destituta vligine cæno, & fermentata coluuie uenena emittunt, ex quibus cœli morbi contrahuntur, quorum causas minus perspicere queunt Physici nostri. In contagionis suspitione, circa itinerum occulta domus ruri querenda est, ne amicis notisq; prætereuntibus diuertendi sit periculosa occasio. Sepulchrorum vicinitas, cauernosaq; loca uitanda sunt. Loco igitur salubri equitare, gestare, ambulare sub dio, leniter ante æstum licet, uitare tamen fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, lunam, libidinemq; oportet. Eam regionem saluberrimam esse constat, quæ per annũ prius libera facta sit pestilentia. Tum lympidus syncærusq; aër redditus est, minusq; cæteris obnoxius habetur. Vitanda sunt & loca in quibus plurimæ ficus, nucesq; consitæ sunt, uel ubi linum, spartum, canabis in aqua macerantur, malos enim uapores emittunt, prẹsertim ubi uenti non spirant. Sed quid iam domi fieri debeat, omnibus fere momẽtis uidendũ

F est

eſt,ubi peſtilentiæ ſuſpitio eſſet,ubi magiſtra
tu,uel aliquo publico officio diſſcedendū non
eſſet,aut ualetudine coniugis, aut filiorum,
aut alterius rei ratione, ad huiuſmodi igitur
auxilia confugiendum eſt. Si hyems eſt con-
clauis aërem his comendamus odoramentis,
quæ calida ſunt, ut muſcus, nux Syriaca, ma
cer ſiue machir eius puluinatus, & foliaceus
calix,ſub quo inutile & nigrum lignum puta
men eſt,gariophyllum,ſtyrax laudanū,thus,
myrrha,thimiama,hebenum, acorum, iuncū
quadratum,crocum,bdellium,ocimum maio
rana,ſpica, origanum, calamintha, pulegiū,
inter præſtantiſſima caſſia eſt,a Galeno Pli-
nioque auctoribus diligentiſſimis celebrata,
quam caſſiam fiſtulā ab antiquiſſimis aucto
ribus appellari uideo,unde nat⁹ eſt error quo
ſiliquam Aegyptiam caſſiam fiſtulam falſo
uocant. Poſteriores ex his quędam ſunt inuē
tu facilia, & plebi accommodata,ac his qui-
bus diuitias inuidit fortuna. Igni uero ſuper-
imponūtur,neq; ſuperſtitioſa quidem medici
na,laurus,iuniperus,cedrus,roſmarinum,uel
ſimilia odorata ligna,et fructices. Aeſtate ue-
ro cubiculorum gratiam cuſtodiunt mala cy
donia,ſiue cotonea pira,uel reliqua mala odo
rata,mala medica,& eorum flores,foliaq;,ro
ſa,viola,nymphea,omphacium, cucumis uel
cucurbita,myrtus,acetum. Camphora,aqua
roſacea,violacea, & quæ ex floribus mali ci-
trei fit, ex furnibulo, ſic enim liceat appellari,
nouum inuentum, ſeris item folia,ſonchi,di-
ctamni,uitis folia paſſim conſperſa. At ignis
mira

mira uis est in omni tempore, qui in pestilen tia, quę solis lunæq; deliquio contrahitur suffi tu multiformiter mane ipso auxiliatur: aëris enim uirus, si quid est, discutit ac fugat, Hip pocrate et Paulo Aegineta demonstrãtibus quod obseruari sæpe iussimus. Acetum præte rea per se cubilibus aspersum, uim malam au fert, rosacea mixta efficatius. De mixturis aliqua, quibus cubiculi aërem commenda mus, hyeme præsertim subiungemus. Ea ex his constat, thuris masculi thymiamatis singu lorum drachmæ .ij. masticis, iuniperi bacca rum sesqui drachma. Cariophyllorum, ligni aloës scrup. iiij. ex ladano purissimo, aquaq; citreaginis omnia in orbiculos dirigeruntur, qui carbonibus iniecti nidorem præstant effi cacissimum. Alia compositio huic contraria, ex refrigerantibus fit, in qua rosarũ rub. scru. ij. nympheæ, labruscæ scru p. S. coriandri, uio larum, baccarum myrti, mastiches, coralorũ omnium scrup. I. rubricæ armeniacæ, rubri cæ lemniæ drag. camphoræ drag. iiij. impo nuntur, & ex rosacea orbiculi conficiuntur, & ad usus seruantur. In hac tanta diligentia cauendum est inter cætera, ne quis ex familia ribus loca adeat suspecta, nisi allio prius com manducato, epotoq; vino meraciusculo. Alij dari suadent plebeiam antidotum ex nucibus iuglãdibus, ruta, fico sicca, addita salis mica. Suspectos a propinquo & a vẽto alloqui pi culosum est: ea enĩ veneni uis vento in corpa deferri haud dubiũ est. In qua item obserua tione cauendum est, ne canes, cati, felesue,

aut aliud animal, per ſuſpectas domos per-uagari poſſint, deferunt enim plerunq; a uici-nis peſtilentiam. Publica phana, ac cœtus om-nes cauendi ſunt. Si qua diei hora Deum pla-care in animo eſt, priuata ædicula, aut altari cōmode uti debes, q adire libere & tuto poſ-ſis. Vitam liberalem ducere opus eſt. ſtudijs inter dum uacare. & iocis, nihil de peſtilentia cogitare, utile eſt. Sæpe veſtimenta mutare, aut ſuffitu uel igne malam uim arcere. Cōtra peſtilenteis tractus a priſcis laſſer per dies aſ-ſumebāt, uel aron in cibis & myrrhis. Lauri item folio trito, olfactoq;, eadem cōtagia pro-hibebant, miri effectus etiam ſi comburāt. Alia item ſunt quæ inter compoſitiones ma-nas uireis habent, qualia ſunt Corallium & margaritæ. Ex gēmis, carbunculus, hyacin-thus, ſmaragdus, ſaphyrus, & his ſimilia: ha-bent enim officinæ gēmas uiliores informeis, inequaleis cauas, glacie, aut nubeculis macu-loſas, a mangonibus neglectas, quæ in farinā conterūtur ad nobilitatis uſus, ex ijs trochiſci ſiue paſtilli fiunt, ad medicinam. Antidotis quoq; imponuntur, ueluti theriacæ uel mithri-daticæ compoſitioni, diamuſcho, condito ro-ſato, bugloſſato, uiolato, uel potionibus ma-tutinis, gemmarum pulueres bibuntur oboli pondere, maiori utilitate, quam quæ matro-narum digitos pingunt: mira enim potentia cor recreant, exhillarant, vireis tuentur, & ve-neni vim abigunt. De compoſitione ſuo dice-mus loco. Hoc tempore pilam manu geſtare odoratam, quæ ex calidis ſiccisque odoribus
conſtat,

constat, hyeme præsertim ad maximam tutelam facit, unguentis ætas nostra non utitur, alioqui in omni genere luxuriæ antiquitatis æmula, quæ zibethum animalis, cati magnitudine ex crementicium ex naturalibus habet humorem, ac Muschũ suauius spirantẽ illud ex proximo nareis acrius ferit, & ex quo plus est, musco tamẽ charius comparatur, etenim odorem qui gerit ipse non sentit. Pila ex his constat, Ladani quam purissimi vncia, styracis, calami odorati, carpobalsami, amomi, nardi spice, omnium drag. iij. cariophyllorũ, nucis assyriæ odoratæ, xiloaloës, cassiæ, omnium scrup. ij. Muschi electi obolis. ij. sigillatim conteri mox omnia in mortario æneo, tudicula candente cogi debent quisquis tam est odor potentissimus, nouissime additur impẽdio, non parcentes zibethum, opobalsamum malobathrum, quod folium uocant, addunt hæc pro facultatum portione. Plebs ladano, thure, myrrha, amaraco, pulegio, ac croco cõtenta sit, eo quo diximus modo. Altera est pila quæ maximis conuenit feruoribus, quæ hoc modo fit, rosarum ru. uiolarumq́, farinæ singulorum drachma, nympheæ floris drag. I. S. Corallorum, rubricæ lemniæ drag. ij. œnantis, succini, omnium semidrachma omnia tritum per cribrum secernas, nouissimæ camphoræ semidrachma, musci obolus addi debet, ladani & terebinthinæ quantum satis sit ad coagenda omnia addita aceti stilla, suspecto præterea tempore scabies, alioqui importuna, impetiginesq́, uel articularis morbus

Malobathrum folium.

Pomum frigidum.

securitatem afferunt, quibus sanguis repurgatur. Constatq; hanc ob causam a physicis sæpius prædici solere, scabiosi tunicam intimã precio sibi quisq; mutare debere, & scabiem non abolere, qui infestatur, uerum malos humores emẽdare, neq; vnguine vti, sed sanguinem, si immodicus est, protinus dimittere. Non eam tamen scabiem laudauerim, quæ infanda vlceris putredine serpit pruritu intolerabili, qua corpora vngue dilaniantur, Hippocratis testimonio. Si quem inguen aut carbunculus ex familiaribus tentauerit, quæ reprimant aut discutiant materiã, uitanda sunt, immo cucurbita si opus est materia inde extrahatur, & ex iecoraria vena sanguis dimittatur. Tument tamen inguina quandoq; venerendorum vlceribus, quæ nullam morbi suspitionem afferunt, si febris non est. Sed quia aëris mentio facta est, & cubicula multifariam ab aëre pestifero repurgari docuimus, pari ratione Diuinus Hippocrates plureis Ciuitates liberas fecit, quæ pestilentia ex solis lunæq; defectu laborabant, crebris ignibus per vicos ac circa vrbem dispositis, quo sæpius facto ciueis ab ea labe liberauit. Idem auctor memoriæ prodidit, occludi oportere portas, fenestrasq;, ac meatus omneis, versus eam regionis partem vergenteis, unde flatus pestilentes spirare uiderentur, immisso fenestris nouis aquilone, & obstructis pestilentibus ianuaq; permutata, atq; ita omnes incolumeis fieri. Exemplum unum non prætermittam, ætate nostra memorandũ, quod ratione physica

ſica confirmatur. Quidam mercator Creten ſis nobilis nobis narrauit, cum in Taurica re gione negociaretur, & ſæuiſſima peſtis orta eſſet aëris vitio, quo finis moriendi non erat, in ea ſumma hominum ſtrage a ſe medicum viſum loci eius incolam, nam Sarmatæ ea loca tenent, qui canes omneis interemptos paſſim per uias, perq; uicos omneis abijci iuſſit, qui diſtenti, & putridi tetro odore cœlum imple uerunt, quo remedio ſtatim ciuitas ſanitati re ſtituta eſt, & Sarmatas id remedium factita re ſolitos, putreſcentes enim canes aëris natu ram immutarunt, quæ hominibus duntaxat exitialis erat. Ita enim diſſimilitudo facit, & rerum diſcordia, nam uenenum ueneno inter dum debellatur, quod etiam Zoar quidam inter poſteriores phyſicos affirmat, ut ſtatim dicemus.

De victus ratione, Caput VII.

ET hæ ſunt obſeruationes quæ ad aërem pertinere uidentur, nunc quæ ad uictũ attinent exequamur. Panis igitur ex tri tico mundo, a quo & Galenus incipere ſolet, non ſuſpecto fieri debet aqua collectus quam puriſſima, furno coctus, purgato, priuato, li gnis non uitiatis, neq; damnatis, ea ſuperſti tioſa aliqui putabũt, in his enim maxima uis eſt, quod olim experimẽto cognitum eſt, bal neo putridis lignis calefacto, multis interem ptis. Hyeme uero, et his qui crudi ſunt uinum Cretenſe uel Falernum maxime a Gale. lau datur, aut Rheticum, auſterum prima menſa

aſſumi debet, deinde mediocris potentiæ, æſtate clarũ, ſuaue, nullarum ferme uiriũ, ueteres probabãt, inter quos Celſus alternis diebus inuicem modo aquam, modo vinum bibendum. Ex poſterioribus medicis nonnulli in totum a menſa arcent. Veteres abſinthite ſalutare in omni peſtilentia habebant. De cibis, ut ab his quæ ad primam menſam ueniũt exordiar, lactuca ex aceto conuenit. Qui oleũ addunt, magis gulæ quam ſtomacho conſulunt. Seris, cichorium emedullarum coctũ magis quam crudum prodeſt, difficilis enim concoctionis eſt portulaca. Acetoſa herba, inter cæteras peculiaris in peſtilentia medicinæ nõ minori gloria habetur Sonchos, quam ſcariolam Punici uocant, & quam pinpinellam uulgus nominat. Hyeme uero ruta, ſaluia, menta pullegium, abrotanũ, artemiſiæ, bugloſſum, hiſſopum, apium, ſerpillum, melliſſophyllũ, ſanſuccus, betonica, calendula. Dictamum, et capares, mali medici flores, qui odore & uiribus cæteris pſtabant. Suauiores in Italia quã in oriente. Quidam mali medici carnem teſſelatim concidunt cũ cortice ad hos uſus, ꝙ niſi firmis ſtomacho dari non ſuaſerim. Secunda menſa, lens ſola ĩter legumina probatur, alioquin a Galeno damnata, ſed cortex demitur, primaqꝫ aqua in coquẽdo diffunditur. Hyeme ciceris ius omnium conſenſu laudatur. Siſerem & paſtinacam emedullatas laudauerim, & quam Gallicam uocamus, Græci a colore glaucum, uulgus careotam dictitat. Toſta enim ex aceto addito aromatis momẽ

to

to comendatur, uel in prima mensa inulæ itẽ radix asparagus. Aestate lupulus, quem lupum salictarium prisci uocabant. Prodest & quæ specialibus radicula appellatur, herbarij raphanidam uocãt, gustu sinapi proximã. At carnis usus moderatus esse debet, in hoc enim casu uictus athleticus damnatur, abstinentia iuuat, hoc est, non nisi ꝙ oportet, sacietas enim ac fames periculosa sunt, nec nisi intemperantes homines pestilentia conticit. Tempestiua igitur abstinentia, et tempore et modo & ordine habenda est. Caro igitur optimi temperamenti esse debet assa, magis quã elixa, qualis est uituli lactentis, apri, capreoli, hœdi, leporis, pulli gallinacei. Veruec s anniculi, cuius & uituli pedes ex aceto præferunt, in vitula ac fœminino hædo adenes mamarũ laudantur, Galeno teste, oua sorbilia prima mensa conueniunt, pruna incocta uel ex vuæ acerbæ succo. Capo, perdix, lepus, attagen, ut Galenus tradit, fasianus, merula, turdus, biduo maceratus aceto, auiculæ omnes, turtures ac palumbes. Coturnicem uero, anserem, lagopum, qui cito marcescit, & annatem dãnauerim, & earum pullos quos Galenus inprimis præter alas coarguit. Quidam aceti acrimoniam passa minuta, uel passo admixto cohibent, frigiditatemq; cinnamomo temperant. Ex piscibus procerum lupum laudamus, tum marinum, tum fluuiatilem, eiusdem enim sunt nominis atq; similitudinis, uerum marinum præcipuæ suauitas, longum rostrũ nullis spinis intercursantibus, belonem siue

acum uulgo angusícula dicitur, mullum bar ba insignitum, & marinum & fluuiatilem au ratam: Labrax uero quem variolum uulgus uocat, maxime laudatur, in hoc genere & tru tam fluuiatilem ob similitudinem posuerim. Mugiles pelagicos commendauit Gale. Om nes pariter pisces, qui carnis candore, & sua uitate cæteris a gula præferuntur, eo tempore laudantur. Si ex aqua fuerint non damnata, qualis salmo est in Aquitania, omnibus maxi nis prælatus, et carpio in Benaco lacu nostro omnium laudatissimus. Lombricos item flu uiatileis omnibus prætulerim, sed quia raro capiuntur qui libram excedant, raritas laudē ademit: optimi enim sunt succi, uulgus lam petram uocitat. Pisces omnes ex aceto tosti in craticula primi meriti sunt, secundi uero ge lu præstricti habentur. Saxatiles omnes a no stris medicis maxime probantur, inter quos a magnitudine capitis foro Iulienses nostri ca pitones uocant. Secundi meriti sunt, qui in ha rena nascuntur pisces omnes. Leuiores pela gici, ut quos paguros uocant, reliqua præter mittimus, nam medicinam hoc in loco, non ganearum culinam tractamus. Oleosa præ terea, ac pinguia omnia uitāda sunt, ac lactis omnia genera. Quidam oxygala dari censu ra, sed stomachi ratio habēda est, alioquin fa cile computrescit. In ultima mensa ex fructi bus omnes qui in stomacho haud difficulter uitiantur, cauēdi sunt, qualia sunt mala arme niaca, cerasa, mora, cucumeres omnino dam nantur, melopepones quoque, nisi præstantes

sint,

sint, ac in prima mensa, pomaq́ue, quę melimel la dicuntur, ac pira fragilia probantur tosta, præsertim saccharoq́ue contrito superiniecto, id priscis delitijs uix notum fuit, nūc plebi uel rusticis familiare, persica ex uino austero utiliter cōmanducantur a mensa piscium, nuces iuglandes, si mod⁹ est, utiles sunt, amygdalę in aqua infusæ, pistatia, nuces pineæ, coriandrumq́ue sacharo confecta, uel ex ijs discussis tunicis ex passa amygdalæ suauiter comedūtur. Citrea mala & eorum genera utilia sunt, nam & ciborum cupiditatem afferunt. Moreta siue oxypora idem præstant ex aceto aspero, uel vuæ acerbæ succo, ex his hortensibus quæ supra cōmemoraui, uel mali granati suauiter, acris, uino, hyeme sinapi contentus esse debet. Quidam oris suauitatem cōmendant semine citreo cōmanducato, quod & aëris pestiferi noxiam abigit. Si quotidie estur, hyemę cinnamomum, zinziber, cardomomū, cariophyllum, nux Assyria, ac macer cum dictamō corallio, croco, additis ceruini cornu ramētis, cōtrita enim & cribrata, specierum nomē ab auctoribus sortiūtur, & in edulijs, cibarijsq́ue omnibus utiliter inspargūt, in reliqua uictus consuetudine, q́ue minimū mutare debemus.

De somno ac exercitatione,
Capvt VIII.

HOc tēpore mane surgendū non est, neq́ue pedib⁹ nudis ambulandū, tēpestatesq́ue uarias uarijs uestimentis obseruandæ, ne frigore aut nimio æstu fatigent corpa, eodē

sæpe

ſæpe die uentorum cauſa modo frigus ſenti-
mus, modo æſtu laboramus. Somnum meri-
dianum priſcæ, poſterioresq; medicorum ſcho
læ damnauere inſuetis maxime. Et peſtilentię
tempore, abſtinẽtiam laudauere, modo plus
cibi, modo minus aſſumi ſuadet Paulus Ae-
gineta, isq; modo calidus, modo frigidus eſſe
debet. Interdum & exiccantis naturæ idem,
& de aëre arbitrabatur. Aetas quoq; noſtra
repletionem ſiue crapulam uitandam ſuadet,
famem nimiam, ſitim, fluxum, uomitus, ac ue
nerem, cruditatem quoq; lætalem putat. Bal-
nea, fatigatiões, ſudoresq; minime tuta ſunt,
eo tempore arcu, fabulis, iocis leui lectione,
liberalibusq; ludis animum recreare iuuat:
frictiones corporis Galen. ubi opus ſit, lau-
dat leueis, triſticiamq; ſi quid aduerſi euenit,
leuare oportet, & animi mœrorẽ pellere, nihil
de peſtilentia cogitare. Plurimum enim refert
acri intentione aliquid animo uolutare.

Potiones & alia auxilia in peſtilen- tiæ tempore, Cap. IX.

IN primis hominis (ut diximus) proprieta
tem, ac aëris circumfuſi, uel aquæ uel alter
ius rei naturam noſſe oportet, quibus fa-
cile occurrimus contrarijs qualitatibus, uel
ijs quæ ſine certa qualitate ſed ſpirituali dun
taxat forma ſubueniunt. Verum prius, quod
diuinus Hippocrates inceſſanter clamabat,
per quam humida corpora ſiccanda, impura
q; purganda, ac poros aperiendos corporis,
quod Galen. ſe factitaſſe ſcribit, quo tempore
frequentes

frequenteis carbunculos oriri uidebat certiſſima peſtilentiæ auguria, ex abundanti putredine. In quo caſu ſanguis mittendus eſt, ſed modus ſeruandus, magis tamē quibus in uſu eſt, uel quibus ſanguis melancholicus ſubſtiterit, ut menſes in mulieribus, & maribus hemorrhoides, aut in utroq; genere narium profluuium. Tempus idoneum eſt plenilunio. Qui uenam ſecari non patiuntur, natibus cucurbitas imponant, aūt ſanguiſugas, ſanguineis, ac morbidis corporibus id ſæpius fieri debet. Vomitus (ut diximus) obeſt, niſi ſponte fiat. Malam enim materiam adtrahit. Aluus mollienda eſt rore Syriaco, quod manna uocant, Iudæorum officinis nūc familiariſſimo. Siliqua Aegyptia, quam caſiam fiſtulam falſo appellauere, caſſiæ fiſtulæ odoratæ nomine errore manifeſto, de qua ſupra diximꝰ, Gale. Pliniiq; graui teſtimonio, tamarindis quoq;, ac uiolacea potione. Alij ubi aluus aſtricta eſt, clyſterem infundunt communem. Sed remedia addemus celebratiſſima, quibus uentrem exoneramus, ac corpus tutū reddimus. Catapotia enim ſunt Ruffo aſcripta, quæ ex his fiunt, aloës hepatitis lotæ pondere. ij. myrrhæ puriſſimæ quam ſtacten uocant, croci omnium ponde. I. ex uino dantur ſummo mane drachmæ pond. aut ſemidrachmæ. Qui his catapotijs uſus eſt, ut Ruffus promittit, neq; peſtilentia, neq; contagione unquam corruptus eſt. At Paulꝰ Aegineta auctor grauiſſimus aliter deſcribit hanc potionem propinandam, quam noſtri in catapotia digeſſere, quæ

deuoratu

deuoratu faciliora essent. Ille autem ex Ruffo ita demonstrat. Aloës hepatitis lotę partibus duabus, hamoniaci, thymiamatis tantundē, myrrhæ parte vna, hæc in uino diluta meratiori danda sunt, prisci cyathi mensura. Idem Pau. Agineta spondet, Galen. auctoritate, rubricam armeniacam potatam drag. I. pō. Summopere prodesse, & hyeme theriacā pari modo ex uiperis compositam, qua Romæ Gale. usus est maxime in pestilentia, quæ omnibus bibentibus salutaris fuit. Sed eo peruenit audacia, & non solum priora immutarūt, sed etiam aliquid addiderunt. Quidam Zoar nomine nescio qua rerum coniectura usus inter barbaros medicos non infimus, fimo columbino his potionibus, catarticisq; usus est in aëris & aquæ vi pestifera, neq; id casu ductus, crassos enim humores detrahit, ac putridos sua substantiæ similitudine prospero (ut dixit) euentu, his sæpe fallacibus coniecturis corpora humana hominibus uescēda damus aromata asseruata, quam mumiam barbaro nomine uocant, ut ignarum uulgus sui generis edat carnem infando naturæ piaculo, cæteris ueluti deficientibus in medicina remedijs. Num satis erat viperas nocentissimas serpenteis antidotis admiscere, nisi & humanum adipem ad vnctiones studiosius inquirat, ætas nostra ridicula sæpe & uana frustratione, cū non prosit qui magna promittunt alia cōmiscent, quæ sunt efficatiora. Sub quibus latent quorundam empiricorum rapinæ. Sed ad nostras potiones redeamus. Inuentum est &

seculo

ſeculo noſtro qua ratione ſanguis humanus bibatur,quo oſtẽto feris ipſis feriores ſumus, non ſine enim horrore refectorum corporum exta aſpiciuntur, quantomagis aſſumi, quaſi ſanitas aut longior uita haberi non poſſit,niſi ex homine. Iam ſanguiculum & pulpamẽ-tum in cibos ex ſanguine, & humana carne expectamus,quis non iure accuſabit medici-nam monſtrorum magiſtram,hæc hominum profecto non artis uitia ſunt,in qua re & Xe-nocrates a Gale. damnatus eſt, hocq; ſuper-ſtitioſis medicis dictum ſit. Vbi corpus refri-gerandum eſt uiolacea potione vtimur, roſa-cea, uel citrei mali admixta portulacæ aqua, Cichorijue ſeris acetoſæ,quam oxaliden qui-dam uocant, Cretes oxynidam uulgo dicũt. Sonchi,bugloſſi illam ſcariollam uocant,omnium ſemuntia. Alia potio eſt diligentiori-bus obſeruata, mire effectus in qua & ſto-machi & cordis ratio habetur. Seris, ſonchi, acetoſæ,bugloſſi,ſingulorum manipulus. Se-minis item acetoſæ portulacæ ſeris, & mali citrei excuſſis tunicis,omnium ſemuntia, ro-ſarum rub. violarum,nympheæ lilia,bugloſſi utriuſq; generis omnium drag. iij. roſmari-ni. ij. aquæ roſaceæ triduo iuſta infuſione macerentur: poſtea per furnibulum leui flam ma deſtillans aqua excipiatur, in qua & ſac-charum addimus, & citrei mali ſuccum, & ſandalorum farinam, ſpodij que momen-tum eadem facito, inferueant ad liquidi mellis craſſitudinem, ex qua binæ vnciæ per ſe

mane

mane aſſumuntur, & tribus horis ante cœnã. Vbi excalfacere opus eſſet pro cœli qualitate ac hominis habitudine. Ea potio utilis eſt, in qua betonica, chamedrys, cichoriũ, calamintha, ſanſucus omnium pares potiones, corticis medici mali, zedoariæ, iunci odorati, ſtœchadis, exiguo cariophyllo ac cinnamomo addito. Animaduertendum tamen eſt, ubi hominis habitudo frigida eſt, ac cœli qualitas contraria, naturam hominis ſequi oportere, in qua ſententia & Galen. fuiſſe uideo, nam aëris caliditati ſponte aduerſat̃ natura. Aërq; ex omni confeſſo id elaborandum eſt, ut corporis omnino temperamentum, uictu, exercitatione, potionibus, læto animo, cæteriſq; pręſidijs conſeruetur. Aliud item præceptum eſt inter omneis regulareis obſeruationes, ne ſanguinis naturale profluuium, de quo diximus, hoc tempore prohibeatur, neq; item ſcabies de qua diximus, unguine ſanentur, ac ulcera corporis impleantur, male enim ſibi conſulunt, immo ſcabiem contagione pollui certiſſimum eſt (ut diximus) remedium, quo corpus ab ea peſte tutiſſimum redditur. Alios in eo metu tibias uel brachia candenti ferro uſſiſſe, alios puſtulas exulceratorio medicamẽto excitaſſe ſcimus, ad malos humores auertẽdos remedia certiſſima. At cui ſanguinis demiſſio neceſſaria eſt, per quatriduum hac in potione materiam digerẽte matutinis horis uti debeat, in quibus & cordialia imponimus. Habet glycyrrhizæ radicis, hyſſopi ſingulorũ ſemunciam, melliſſophylli ſiue citreaginis,
callitrichi

callitrichi, omnium manipulũ, seris, seminis portulacæ, sandali utriusq; ramẽtorum drag. iij. aquæ quantum satis sit. Sacchari exinde li/bram, exiguo aceto addito, ac aromate cali/do cordiali ceu garyophyllo, aut nuce assyria & si frigidis opus est, medicabiliter aspirare fertur, rosa, uiola, cichorium, acetosa, sandali scobs, & alia huiusmodi quæ cordi titubanti subueniunt. At astrictæ aluo interea infusio nibus subditis ac colyrijs. quas glandes Pau. Aegineta uocat, cõmodatissime succurrim⁹, concocta materia catapotijs Ruffi, uentrem purgamus, exinde uenam secari iubemus, ex iecoraria uena assuetis præsertim, & ubi sanguis exundat atq; corruptus est, alioquin manus abstinendæ, ne commoto inter uenas sanguine ad cruditatem siue ebullitionem re liqui inducantur humores, uiresq; inutiliter demantur. At si præter sanguinem alij humo res purgandi extrahendiq; sunt, uehementio ribus hoc tempore medicamentis opus non est, quæ uentrem perturbent, & corporis itus humores fluctuantes reddant. Dandaq; ope ra est, ut si corpus integrum est, quod iampri/dem liberalius homo uixerit ac caste, ut medi camenta nullo modo assumat, intempestiua enim sunt. At si materia demenda erit, quan titatem nosse operæpretium est, quod ex uri/næ argumẽto agnoscimus, ubi plus, minusue sedimẽti fuerit, at præter theriacam ac mithri daticam illam nobilem antidotum aliç mixtu ræ sunt, quæ eo tempore maxime conueniunt inter quos medicamentum quod diamuscum

vocamus. Item & dialithon, Diasuccinum odoratum, Terram lemniam ex uino. Laudauerim, si haberi potest, antidotis quondam familiarem. Cuius rei causa Machumettus Turcorum rex auarissimus, capta Asia Lemnium insulam lucri spe occupauit, nam rubricæ lemniæ priscam audiuerat auctoritatem. Alij aliam referunt causam, nam terra Lemnia nomas suas curari posse sperabat, hoc est, ulcera serpentia quædam, quæ cum neq; compescere, neq; sanare potuissent medici, eam cũ tota insula iracundus rex damnauit pristinæ reputationis tędio, vnde prisca illa auctoritas quã adhuc retinebat insula eius infausto auspicio adepta est. Reliquæ simplicium facultates, quæ pestilentiæ priuatim aduersantur, suo dicemus loco, atq; cõpositiones quasdam pertractabimus. His igitur peractis, obseruatisq;, exonerato corpore, ac ꝓpurgato, neglecta venere, balneo, vomitu, sudore, victu liberali addito, cæterisq; obseruationibus rite peractis, pestilentia, omniq; contagione quis sese tueri potest. Hinc ad curationes pestilentiæ transeamus.

De natura pestilentis febris, Caput X.

SI uero neglecta obseruatione, aut ꝑ ignorantiam, aut ex improuiso, uel alio casu febris pestilens ex familiaribus aliquem inuaserit, cõfestim mutandus est cœli status, & in plureis parteis distributa familia, longinquæ regiones petendæ sunt, uel ita segregãdi

omnes, ne si quis contagione male affectus est, alium quoque contaminet. Ea enim labes ex aëris circumfusi corruptione, uel mala qualitate inter respirandum ad cor pertinet, uitalesque spiritus inficit, quia et aëris venenati vis in regia vitæ sede inter se colluctantur, donec uirulentum virus, occupatis spiritibus humores pariter qui in præsidio sunt, corrumpat. Vnde ignitus feruor prȩter naturã diras flammas sine intermissione per venas, arteriasque ad corporis extrema eructat. Aut idem pestifer aër nos ambiens (hoc enim per quam uerum est) cutis ita meatus subit, ut ardens inde febris oriatur, in putrido febrium genere, ut Gale. placet. Vel ex aquæ quandoque potu exitiali euenit, uel cibis noxijs assumptis, uel aliquo apostemate pestiferæ naturæ in corpore enato. Et ex omnibus humoribus, qui magis putrefactioni parati sunt, febrem pestilentem reddunt, a quibus febris nomen habetur. Cũ plurimum tamen ex sanguine, biliique ruffa, ex phlegmate uero raro, cum vitio aquæ, uel pestiferi cibi fuerit, fieri solet.

De notis pestilentis febris, Caput XI.

PEstilens igitur febris inter initia remisso extrinsecus calore hominem aggreditur, nec protinus sæua oboritur. At intimis pracordijs magis quam reliquæ febres æstuat, & maiora intus incendia miscentur. Vnde uellamenta non sustinent, sed nudi quãdoque, si sine custode sunt, in puteos aut in

propinqua flumina se iniiciunt. Euenitq; interdum calore, uenarumq; motu remisso, urinaq; sani haud dissimili ægrum præter opinionem ocyssime rapi ex oculis medici. In vniuersum omnes huiusmodi febres exitiales sunt, atq; protinus enecant, magisq; quæ ex ruffa bile, aut sanguie fiunt, æstate præsertim cholerica aut sanguinea habitudine. In quib^9 ardentes oculi sanguinolenti, uel facies inflãmato rubore mutata cernit̃, sæpius uero uultu adeo truce uidentur, ut pristinam non referant formam. Oris sapor, ac linguæ color humoris naturam indicant, quæ cum plurimum nigra est arenti similis, & exerta, sitisq; uehementior, quæ omnia ex ore stomachi uapores noxios extuante proueniunt. ex natibus quãdoq; spiritus feruore quodam prorumpit grauiter olens, aut pituita interdum continenter profluit, Paulo Aegineta auctore pestifera auguria. Vrinę color uarius est, modo clarus, modo rubens, liuens quandoq; in suprema humoris parte, spiritualibus membris obscessis. At initio ueterinaria semper exitialis, quę & feculenta est imperitis etiam nota. Quæ clara lympidaq; est colore natiuo profugato reditur inconcocta, quandoq; tamen alba luthea, purpurea, humoris dominium denunciat. At Paulus Aegineta duo tantum genera demõstrauit, biliosam aquosam, & nigrã mali sedimenti, pessimaq; nubeculæ. Veterinariæ causa, est genitalis calor extinctus, qui excrementi huius parteis liquidas ac tenueis crassamento non secernit, quo fit natura suo
calore

calore destitura omnia indiscrete permanent. Quod ediuerso in optia valetudine aut morbo, de quo tutus medicus esse potest, contingit, quæ et si frigore confunditur, ac perturbatur eadem ignis tempore pristinam claritatē remittit, quod a Physicis nostris ratione ostēditur. Alia quoq; urinæ signa calidissimi rerū naturæ medici ac philosophi tradidissent posteris, nisi in dubio quoq; eorum uita fuisset. Capitalis enim pœna est tales ægros uisere. Ex aluo uero quædam proluuies, liquida, fœdior, horrendi odoris, spumosa, uncto fluenti similis, luthea, interdum atra, quandoq; cum multo crepitu sponte erumptt, ut tradit Pau. Aegineta. Euomunt sæpius modo bilem rufſam, modo atram graue olentem. Quidā guttas sanguinis concretas letaliter emittunt uomitu, aliq sanguinē reijciūt. Sudor præterea immodicus fœdissimi odoris, frigidusq; uiribus intermorientibus undiq; profluit. Pustulæ quandoq; siue ardentes papulæ, quæ liuidæ fiunt, per membra oriuntur, quæ subito, quandoq; delitescunt. Os quoq; ulcera male habent infantium aphtis, quā simillima, quæ ex corrupto uapore sublimitatis auido nascū tur. Cum plurimum lætifera continue nauseę uomitusq;, ac stomachus cibum respuens, lætalia sunt prognostica, ex uicinitate oris stomachi cum principatu cordis, præsertim si lenta febris affuerit. Capitis item dolor, si ægrū fatigat, suspitionem auget, ex quo & deliriū sequitur. Respirandi item anxietas, thoracis totius incendio, in quo casu spirandi magis,

quam respirandi necessitas apparet. At arte-
riarũ pulsus in huiusmodi febre sæpe tenuior
est, sed frequentior, nocte tamen uehemen-
tior fit, qui in æqualibus mouetur interuallis.
Membra interdum contrahuntur, paulo Ae-
gineta teste. Anima sepissime deficit. Tussi-
cula, vigiliæq; ægrum excruciant, unde mens
quandoq; stupet, uel intellectus confunditur,
minaciq; quodam furore ducuntur, quã phre
nitim uocamus. Somnus quandoq; profun-
dior, ubi carbunculi maxime oriuntur, stoma
chi præterea dolor, lienis inflatio, præcordio
rum tumor apparet. Membra resoluuntur,
ut consistere nequeant. In lecto uero caput &
extrema impatibili quodam languore iactãt,
ut stare loco nesciãt. At indubitata signa sunt
faucium, aurium, alarum, inguinumq; tumo
res, quos panos uocamus, ac carbũculi quas
anthracidas uocant Græci. Animæ defectus
in prima secundaq; die, uultus priori dissimi-
lis, pulsus enormiter sese mouens. Vomitus
perseuerans, urina turbida, feculenta, animi
anxietas, iactatio corporis, certas pestilenteis
febreis, uel plerisq; ex his notis, aut dubio di-
gnoscimus. Exemplis tamen constat pestilen
tiam quosdam ita sensim inuasisse, ut medicis
ephimerinam febrem existimantibus, ægri su
bita ac præsentanea morte rapti sint, de qua
re statim aliqua subiungemus exempla.

Qui

Qui præter medicorum opinionem ignota pestilenti febre, subita ac improuisa morte interiere, Caput XII.

MArcus Antonius Cornelius patriti⁹ Venetus, inter seuissimæ pestilentiæ ætatis nostræ initia, in qua plures medici extincti sunt, ignoto morbi genere, nondum enim pestis detecta erat, febre satis leui correptus est, quam uel ephimerinam putabant, submisso per membra calore, & cæteris notis securitatem promittentibus .vij. die caput, ac ceruix sudore frigido maduerunt, atq; protinus interijt. Interea dum admitterentur medici, dum casum inopinum perscrutarentur, dumq; uulgus insanum eos damnaret inscitia, ecce per plureis uicos ciuitatis pestis acrius vrbem cœpit premere, adeo ut. ccc. protinus singulis diebus funera tumulis redderẽtur, ac nisi subita populi, ac nobilitatis fuga facta esset maiori strage afflicta ciuitas fuisset. Sed hoc unum referendum arbitror nugator maligne, ac medico mastix impudens, nulla est in tanta febrium ambage insidiosior, nulla fallatior: salutem enim in fronte promittit, occipitio uero exitialem exitũ refert. Pestilentia quæ Athenis quondã sæuissime grassata est, ut Thucyd. refert, ex Aethiopia quæ est super Aegyptũ, deinde in Aegyptũ, Libyãq; descendens contagione Pyreum occupauit, ita ut initio ab omnibus diceretur uenena in

puteos, a Peloponensibus esse deiecta, mox uniuersam urbem infecit, quæ eodem anno nullo alio morbo omnium confessione labora uerat: in ea enim nescio quid veneni inerat, præter consuetudinem in qua nullum reme/ dium idoneum repertum est, quod quis dice ret utile fore si offereretur. Cadaueraq; inse/ pulta a nullo animali intacta fuisse, uel si at/ tingebantur protinus necarent. Vnde circa cadauera neq; alibi uisebantur alites. Patauij quoq; ætate nostra Antonius quidam Sicu/ lus, disciplinarum nostrarum sectator, laterū dolore urgebatur, pleureticusq; a medicis ha bitus est, his quinto die obijt, ac pestilentia statim subsecuta est. Mirantur propterea phy sici nostri in tanta ueneni reputatione calorē corporis, quādoq; adeo remissum urinā cla/ ram, uenarum motus æqualeis, ut certam om nino salutem quisq; possit promittere. Hoc autem contingit non ex morbi subiecto, sed cibi materia, quæ aliquātisper perficitur, unde vrina salutaris apparet illeso iecore, saluisq; renibus, quia morbi materiā pauens natura congredi non audet, nec in prelium descendit facile cum ueneno statim moritura, sed corpo ris paululū habenas moderatur, et regit. Vbi dū tēpore decretorio bene sperandū putam9, mors inopina ægrum rapit, quod & Physicis euenire solet. Aliquibus idem pariter euenit, ijsdem urinæ notis arteriarum æqualitate nō spernenda leui febricula, in qua die critico san guis e naribus prorumpit, quo auxilio dum securitatem ægris promitterēt medici, exinde

mors

mors insperata intercessit, atq; misere præsentaneo ceu ueneno rapti sunt. Pestilens enim virus in aliqua corporis parte latitans modū speculatum est, apertoq; deinde Marte cū natura pugnam confecit. Et duæ aliquando febres (in infinitum habeamus) coëunt, quarū altera medicinæ præsidio sanatur, altera in aliquot dies protrahitur, cuius materia iam putrefacta celerius pestilentiæ virus contrahit, ubi pestis ciuitatem præcipue grassat. Lūq; tumet eo successu medicus, dum superbia inflatur animus, & nummi spe titillat auaritia, ex improuiso moritur æger. Quas ob res multiformiter insana uulgi censura medicos nostros damnari uidemus. Sed de malis in pestilentia præsagijs dicendum est.

De malis prognosticis in pestilentia, Caput XIII.

EXitialis plurimum ea febris est, in qua continuo metu angitur æger. Cibiq; tedio de die in diem ducitur, contra animi securitas, ac ad cibum obsequens animus salutem sæpe denunciant, nec id tamen perpetuum est: audiuimus enim nonnullos in quarta quintaq; die ceu conualescentes per domū oberrasse, ac cibos non respuisse, paulo tamē post expirasse. In ijs igitur febribus exitus incertus semper habetur. Calor remissior quā par est, reliquiq; affectus uehementiores, quæ incidentia siue Symptωmata uocamus suspecta sunt, facies commutata, liuida, aut cū purpura nigricās, maculisq; pluribus uaria, mor

tem in propinquo portendit, urina feculenta, de qua diximus. Si nullum in ea subsidet crassamentũ mortifera est, quæ si diu perseuerat, & uires ægro sunt, longum morbum. Si imbecillitas est, præsentaneam perniciem præsagit, in summo aquosa perseuerans tetri odoris, atri coloris, ac crassa, pestifera est, liuida mala. Ventris item fluor horrendi odoris, uariĳq; coloris, ante digestionis signa, damnatur. Biliosa ac multa qua æger non conualescit, mala existimatur, vncto similis, de qua diximus tetri odoris, in cuius sũmo lutheũ quoddam uirulentumq; cernitur, lætifera est. Sudor frigidus circa caput, ac collum febri nihilo minus seuiẽte, mortem minatur. Et quæ euomuntur, si grauius olent, siq; porracei coloris sunt, aut floris æris similia, aut atri coloris, mala sunt. Animæ quoq; grauitas, maculæ, pustulæq; omnes, quæ oriũtur, ac statim delitescunt, exitium certum portendunt.

Qua victus ratione in febre uti debent, Caput XIIII.

CVrationis itaq; principium est victus ratio, quam diætam uocant, exinde digestio, & flammæ interioris extinctio, & corporis demum exinanitio, de his quæ animum recreant, suo loco dicendum erit. Victus rationem Asclepiades in totum prosecutus est, ad quam omnem curam transtulit, medicamentorum usum damnando, quibus & stomachus læditur, et præmatura senectus inducitur, omnium medicorum consensu, &

si hac

ſi hac ætate aliter contingat, ut quos repre-hendant, ſingulis momentis imittentur, nec tantum antea medicamentorum uires in uſu fuere, ſed addunt in mixturis, quæ virus tem-perant, nihilominus venas malo ſucco im-plent, & minima in re, ut leuiſſima tertiana diarhodon catharticum offerunt. Et ſi multa eueniant, quæ ſine medicamentis curari non poſſunt. Sed ad ea, quæ clinica ratione obſer-uantur, redeamus. Aëris igitur ſalubritas in peſtilenti febre eadem querenda eſt quam ſupra deſcripſimus, cubiculi opportunitate, cuius feneſtræ in Aquilonem vergant, perfla-biles, noctem uero candelis uincere oportet. Lumine enim ſpiritus & humores extra re-uocantur, propterea in eo caſu ſomniculoſum ægrum timemus, veternoſum noſtri Punici ſubethicum uocant. At ubi vigilijs excrucia-tur æger, utiliſſimum eſt ſi vires ſuadent cu-biculum & lectulum ſæpe cõmutare, aut lin-thea ſaltem & ſtragulas, aceto, roſaceaq; in-ſperſa, & omnia quæ ad uſus faciunt. Aeger præterea ueſtimentis ſtrangulandus non eſt, ſed admodum leuibus tantum uelandus.

Cibus præterea (ut ſummatim dicamus) re-frigeratricis naturæ, ſtypticæq; eſſe debet, qui & ſi exiguus, plurimum tamen alat, facilis-que concoctionis, acetoſis conditus, atque ex his diligendus eſt, de quibus ſupra dixi-mus, pro ægri deſiderio: varijs enim deli-tijs, varijs ſaporibus, additis odoramentis, ſtomachus conciliandus eſt, ſæpiusque in die cibus offerendus. Carnis item

ſuccus craticula aſſe & expreſſus, uel furnibu lo deſtillatus (ut nunc faciunt) ſtomachum nõ offendit, & protinus nutrit Gale. horam prã diȷ̃, ac cœnæ pro cõſuetudine laudauit, alȷ̃ ve ſpertinam matutinamq; præferunt interdiu, & ſæpe ſalutares mixturas, confectiones, ua riosq; potus & ſaluberrimos continenter præ bent. Culinæ autem ratio in hoc caſu referen da eſt, ut phaſianũ uel perdicem, aut pullum gallinaceum depillatum, ſordibus mundatũ roſacea acetoq; diligenter abluant. Corian/ droq; præparato, myrti baccis, ſandali utrius q; ſurculis, acribus ceraſis, uel prunis faciant, diligenter demũ aſſum offerant. Elixa in hoc caſu damnantur pinguiaq;, quibus ſtomachi auiditas, ſi qua eſt, ademi ſolet. Qui diſtillatio nibus uitreis, præſertim ſuccos colligunt, ne combuſtura inde contrahatur, foculo aliqui grati odoris ſubſternunt. Qui has negligunt diſtillationes, phaſiani carnem, aut perdicis minutatim concidunt, vaſeq; imponunt ui/ treo, obturantq; ne quid euaporet, idq; in ca cabo æneo aquæ pleno igni imponunt, & ſine aquæ humore carnes decoquunt, ſed ſuo dun taxat ſucco macerantur ſine ignis iniuria. Cõ tinenter feruere debet donec excoquatur ma teria exempta phyala, ſuccus lintheolo expri mitur. potuiq; datur, a drachmis. iiȷ̃. uſq; ad unciam modus eſt, addita cordiali mixtura qualis eſt diamargariton, dialithon, et huiuſ/ modi. Alȷ̃ iuſculum faciunt addito ouo recẽti & mali granati uino, uel uuæ acerbæ ſucco, uel alteriꝰ rei acrimonia. Alia eiuſmodi edulia excogi

excogitantur in dies, quibus cor & uireis cor poris ſine ſtomachi tedio recreant. Nouimus tamen et celeberrimos in medendo auctores, qui carnis uſum in hoc febris genere damnarunt: ſed tempori atq; conſuetudini aliquid ſemper concedendum eſt ob id pultem tantũ hordeaceam, aut ptiſanam, hanc enim ex grano, illam ex farina conficiunt, offerũt, quibus ſtomachus acida non ructat, ut tradit Gale. qui & alicam romanam laudat. His omnib^9 tenuior eſt furfuris ordeacei marcor ex amygdalarum lacte expreſſo, ac ſacharo addito. Aliĩ molle panis albiſſimi ex aqua frigida, q̃ ſæpe in ardenti febre uſi ſumus. Nihilq; calidum in cibo aut potu aſſumendum eſt, & ad cibum cogendus eſt æger, quo ſubducti ſpiritus mire emendantur. Interea confectiones quæ nutriant hac hilaritatem faciant, in quibus gemmarum farina efficaciter imponitur, aſſumuntur. Plebs lente vti poteſt excuſſo prius cortice, bisq; aqua mutata addita aceti ligula, oriza, hyme ex amygdalarum ſucco, aut lacte acetoſo dempto butyro. Ouum ſorbile cum albore. At ſitis quoq;, quæ maxime febricitantem excrutiat, vino acidulo, quale Patiuinæ populi aut ſalices dare ſolent recte extinguitur, nullarum enim virium eſt maxima cũ uuæ acerbæ ſucco uicinitate. Aliĩ uino mali granati, utũtur expreſſis acinis, ſine corticis ſtypticitate, quod ex oxyachanto fit, criſpinum tranſpadani uocant, dyſentericis nobile medicamentum, & ſicientibus iucundũ. Si hæc nõ ſunt, acetum prodeſt aqua infractũ

roſacea.

rosaceæ. Quidam austerum uinum dedere, album, odoratum, ceu Cretense uel Falernum, aut Rheticum, præter quam in capitis affectu ubi anima deficit, sed uini uires frigida cœlesti infrangunt, aut fontana saluĳri, uini tertia portio esse debet, sed temporis & habitudinis ratio habenda est.

De potionibus quæ in febre pestilenti dari debent, Cap. XV.

HIs potionibus maxima curationis pars perficitur, quibus febris intemperantia, quam δυσκρασίαν Græci uocauere, corrigitur, & membra principalia conseruantur, & puriora redduntur, cor præcipue ac eius spiritus isdem morbi materia digeritur, perpurgaturq;. meatus aperiuntur, a ueneno q; totum corpus habetur. Quæ omnia maxime sunt obseruanda, ubi feruor ingens est, a colera præsertim. Potiones largiores esse debent ad sitim tollendam uehementem, ex aqua hordeacea maxime iuuant, in qua & candens aurum extinguere consueuere. Qui ultra sacietatem bibunt, stomachi ac pectoris infirmi rationem habeant, atq; consuetudinis memores sint. Nam & reliqua symptωmata uitare debent, Gale. sententia, qui ex frigido potu eueniunt. Qui ordeaceam abhorrent, cisterninam, uel fontanam bibant, prius tamen coctam. Sachari quã purissimi exiguo addito, mos est nullum in hauriendo seruare modũ, sed ultra sacietatem etiam bibere prodest. Vestimentis demum cooperiendus est æger, re-

liquaq;

liquacꝫ ſeruanda ſunt, quæ ſupra prioribus li-
bris annotauimus. At reliquæ potiones ma-
tutino diluculo dandæ ſunt, uel ante prandiū
horis .iiij. totidemcꝫ ante cœnam iuſto inter
uallo. Et quia plurimum huiuſmodi febris ex
pluribus humoribus oriri ſolet, digerentia
ob uaria eſſe debent, humorum rationem ha
bentia, in quibus & cordialia admiſcemus,
acetumcꝫ mire in hoc caſu potentiæ, aut citrei
mali ſuccum. Sed potionis exempli gratia ge
nus unum apponamus. Bugloſſi ſuccum, &
malorum, quę melli mella dicuntur, ac eorūcꝫ
quæ acidula ſunt in catino per diem reſeruan
tur ſeparati, donec craſſamentum ſubſidat, ex
quibus omnibus uncia colligitur, addita ſeri
aqua, citreicꝫ mali ſucci, ac herbæ acetoſæ om
nium ſeſquuntia, roſaceæ unc. iij. Sachari pu
riſſimi lib. ij. ſandalorum aromatis modicū
adijcito, & ad ſapæ craſſitudinem ignis uapo
re coquito, & ad uſus ſeruato, qui camphorā
addunt, de appetitu immemores ſunt. Aliter
bugloſſi, melliſſophylli, ſiue citreaginis ace-
toſæ, ſonchi ſucci omnium vnc. ij. aquæ
roſaceæ, aceti albi, ſeſquuntiam ſumito, ci-
trei ſucci, uel uini de malis granatis unc. ſa-
chari albiſſimi quantum ſatis ſit deferueſa-
cito eo quo diximus modo. Quibus hæc pa
rata non ſunt, eadem condita ſacharo inue-
niat, quod officinas inter quæ uiolaceam po-
tionem roſaceam, nympheæ pomorum bu-
gloſſi, ſeris, acetoſæ, citrei ſucci, & his ſimilia
inuentu facilia habebis, quibus & materia
digeritur, & ſitis importuna interdiu uincit.
Mixturæ

Mixturæ quoq; utilissime adduntur, quæ cō-mandu cantur, uel dilute ex aqua bibuntur, habet rosatum conditum, uiolatum, buglossatum ad unius drach. pon. pulueris margaritarum semidrachmā, ac specierum dialithi dra. auri, argētiq; scobis singulorum obolum alij auri bracteas tenuissimas .vi. addunt, plus minusue pro cuiusq; fortuna. Alia item efficatior est, & primi meriti, eadem condita continet, margaritarum farinę drachmam, dialithi specierum drag. ij. corallij utriusq; scrup. i. seminis acetosæ, citreiq; mali sesqui drachmā, spodij scrupu. ij. ossis ceruini cordis obolos treis, monocerotis cornu, regum impensam, obolos duos, auri scobis drachmā, bracteas auri. x. contrita mortario commiscentur, donec ad unitatem redigantur, linguæ mensura circa lucis confinia ex aqua rosacea datur. Cōfectiones Sandalinæ plebi idoneæ sunt ex eadem aqua. Alia minus iucunda, sed miræ uirtutis ac facilior, in qua rosæ, eæ vnc. iij. rubricæ armeniacæ & vini odorati, non austeri singulorum vncia. Alij theriacam dedere, admixto smaragdi gemmæ polline ex aqua rosacea. Alij alia imperant, quæ pallato, narib9 ac stomacho non conueniunt, de quibus obiter minus dicendum putamus, sed ad reliqua remedia transeamus.

De sanguinis missione in pestilenti febre, Caput XVI.

MAximam desiderat animaduersionē in pestifera febri sanguinis dimissio, quæ largior imperanda est, si sangui-nis uitio

nis uitio contigerit, si ætas ac uires sunt. Exilior cum ubi alter humor admixtus est, qui si simplex fuerit, alui deiectio magis prodest. Dandaq; opera est, ne importune uena feriatur, nihilq; potentius est (ut in collectionibus nostris diximus) sanguinis dimissione ubi necessaria non est, uires enim corporis maxime subducit. At præsentissimum auxilium ubi opus est habetur, insuetis difficilius quã assuetis, inter morbi initia uena secanda est, quę unius diei interuallo fere semper adiudicatur, sed prius si aluus astricta est, mollienda clystere, aut glande ex melle saleq; iniecto. Venam feries si urina ueterinorum similis est, turbulenta, rubẽs, crassa, teterrimi odoris, quę colore liuido emittitur, ac modica uiriũ defectionẽ indicat, in quo casu uenisecis opera non indigemus. At cum abscessus per membra (ut dicimus) oriunt̃, auertẽdi causa sanguis mitti potest, quod si sub ala dextra panus ortus est dextro talo statim uena soluenda est, deinde ex media eiusdem lacerti. Si uero sub sinistra, non in talo, sed in manu sinistra uenam uulnerare expedit. Rursus si inguen dextrũ tumet. uel sinistrum illud dextrũ talum hoc sinistrũ requirit, uel utrunq; modum. Si post aureis quæ parotides dicũtur, aut sub faucibus quid intumuit, eadem ratio in manibus obseruare debet. Pręter hos tumores carbunculi passim per membra innascuntur, sanguine per se uitiato, aut bilioso humore permixto, aut atra bile, tum sanguis statim, atq; copiose mitti debet, extirpandæ materiæ causa, ex iecoraria

vena qua morbidum leuatur corpus eoq; effi catior erit quo ſanguinis quoq; excreationes affuerint. Quod ſi puer eſt qui laborat, qui tã tum roboris non habeat ut ſanguis mitti poſ ſit, cucurbitæ ſcalpello circumciſæ naribus im poni poſſunt. Quidam ita ſanguinis miſſionẽ diſponũt, ut ſi inferiores corporis partes gra ues ſint, ex iecoraria uena, ſi ſuperiores ex ce phalica. Si utræq; male afficiuntur, ex media brachij, ſiue communi recte ducatur. At ſi ephimerina febris affuerit, nec corpus ſangui ne morbidum appareat, ex ſiniſtra regali ve na, exime ſanguinẽ qua cordis & arteriarũ ua pores tetri reſoluuntur. Qui ueniſecis conta gione fortaſſe pollutos timent, inſtrumentũ ad ſecandas uenas domi contineant, quo etiã num Græci Barbariq; utuntur, baliſtula eſt ad corpora ſanguine leuanda, & ſibi quiſq; pro arbitrio demit ſanguinem, tuto enim ue nam aperit, uel imperitis facile. Arcus eſt cui ſagitta ad iuſtam menſuram annexa eſt, uenã quę ſubito uulnerat, & quantum uelis tranſi git. Ita ut arteriam non timeas, nec ultra citra que uenam ictum faciat expedita res eſt, ac facilis, qui hoc nõ habet, familiareis idoneos habeat ad uenas ſecandas.

De ducenda aluo in febre peſtilenti, Caput XVII.

CVm igitur in omni febris genere prius q̃ aluus duceretur, materiam digerere oportere omni nixu ſignificauerimus, nunc in his febribus mutata ratione nullam concoctionem deſiderare materiam uenena

tam,

tam, atq; pestiferam admonemus. Nam quo celerius huiusmodi exitiales morbi homines corripiunt, eo uelocius, & cu n quadam temeraria audacia rapienda sunt remedia: materia enim uenenata concoctionem non expectat, præsertim quæ minoris est inflammationis, quæ non extrinsecus plurimum inflammat, tum digestionem, tum deiectionẽ pariter magis desiderat. De ijs quæ materiam digerunt, suo dictum est loco. At cathartici ratio est, ut nihil uenenati, nihilq; molesti habeat. Si bilis ruffa infestat, hoc medicamento tuto celeriter q; trahitur, in quo imponuntur roris syriaci vnciæ duæ, radicis barbaræ per noctem infusæ drag. ij. in aqua cichorij acetosæ meri albi omnium semuntia. Summo mane lintheolo mundo radicem exprimes, in eo succo rorem syriacum antedictum admiscebis aqua buglossa prius maceratum. Hanc potionem statim saluberrimã dabis. Alij tamarindi succũ addunt, alij chrissobalanum utiliorem putãt. Quidam in roris syriaci vncijs duabus, uel tribus, drachmam uel sesquidrachmam radicis barbaræ contusæ, ex citreaginis aqua, siue succo q efficatior est imponũt, radicem barbarã aurum pretio æquasse uidimus, quibus hæc nõ est radicem ponticã imponãt, duplicato modo, hanc rhecomã ab incolis uocari audio. Si ros ante dictus p ægri fortuna emi nõ potest, succus siliquę Alexãdrinæ uicẽ implebit. At ubi pituita est, qđ phlegma Græci dicunt, agaricũ oxymelite præparatũ utiliter datur, qđ & cordi cõuenit. At polypodio epithimo

fena atra bilis eximie purgatur, adusta mate ria, radice barbara, fumi terræ succo, ac caprino sero. Composita deniq; morbi materia, cõpositis remediјs curatur. At aliј laudant cathartica, quæ Diaphinicon atq; diarhodon uocamus, in quibus tripolium atq; polypodium imponuntur. Sed in hoc casu imperiosa eorum præcepta coarguendo, nostra quæ tutiora sunt, tantum laudauimus atq; clementiora. Reliquæ rursus materiæ digestæ suis potionibus ijsdem catharticis repurgantur. Quibus ea molesta sunt, catapotijs uti possunt, quæ de tribus dicuntur, ex aloë enim elota hepatite, agarico præparata, ac radice barbara, æquis portionibus ex citri succo. Summo mane deuorantur, quidam scrupulum unum addunt ex ijs quæ Ruffo adscrbuntur, aliqui eadem per se dedere. Hinc ad pestilentiæ affectus transeamus.

De somno, immodicisq; vigilijs,
Caput XVIII.

CVbiculo perflatili tenendum esse ægrũ diximus, quo purum aëra attrahere possit, quod mutare utile est, si uires sinunt, alioquin mouẽdus non est æger, præsertim si spiritus facile subducitur, intempestiua uis somni plurimum ægrum opprimit, quo uenenata uis materiæ ad interiora reuocatur, quod carbunculis enatis contingit, uel pituitę causa, fabulis igit̃ & iocis, uel clamorib⁹ excitandus est. At immodicas quoq; vigilias timere debet medicus, quib⁹ imbecillitas sæpe oritur. Somnum inducit gestatio, & suspensi lecti

lecti motus crebriter iacti, uel extemporario fonte aqua guttatim cadens. Silanum Celsus uocat cum cameratis frondibus myrti, citrei mali, salicis, ac crebra uiridi arũdine. Sicamini lachryma somnus conciliatur naribus appo sita, hanc camphoram appellauerim. Si quem timor moriẽdi excruciat, amicorum cœtu sub mouendus est meror, eorum præcipue qui iã ab eodem morbo conualuere, ij deinceps eũ casum non timent, quod auctore Thucydide in illa Athenarum famosa pestilentta euenit, qui hilari uultu iuxta lectulum resideant, solli citudinemq; relinquere doceant, & ad cibum exemplo suo large cohortentur, & languescẽ tis appetẽtiæ periculum indicent, qua ratione & seipsos inuitos singulis diebus aliquid as sumpsisse profiteantur. Vtiliter singulis die bus aluus ducitur, aut clysteræ, aut glande in iecta, de quibus in prioribus libris satis dixi mus. De irascẽtia, cæterisq; animi affectibus satis supra dictum est, ubi pectus fatigato an helitu attollitur assidue ex interanea flamma, tum fricationes, quæ eam extrahant impetrã dæ sunt, aut fomenta spongijs in aqua tepida infusis, ubi cannæ folia salicis uitis chamęmil læ, rosa addita, subferuefacta sint, tepens enĩ uapor esse debet, uel mane, uel die inclinante, de quibus statim dicendum est. *Libro 2.*

De fomentis uel epithematis quibus cor foueatur, Cap. XIX.

QVia de fomẽtis mẽtio habita est, ideo de ijs quæ cordi conueniunt imposita, quæ epithemata uocamus, nunc tra

ctari oportet, his vireis cordis reficimus, animi tristiciam resoluimus, lætum cor reddim⁹, malos ac pestiferos uapores regerimus. Super præcordia retinetur humor cineris, tempore calefactus, pannoq; coccineo uel serico collectus, sub sinistra mamma impositus, medetur, recentaturq; crebro iniectu. Fomenti duo genera sunt, alterum calidæ, alterum frigidæ naturæ, quod ad temperamentum accessit. Frigidum hoc modo fit, rosarum rub. manipulum semis .5. coriandri præparati drachmam, spodij, corallij, utriusq; sandali ramẽtorum omnium scrupulos duos, margaritarum farinæ .I. ossium ceruini cordis semidrachmam, monocerotis cornu obulos duos, gemmarum farinæ semi scrupulum, camphoræ, sumunt obolum, olla imponuntur noua. Et aqua rosacea citreaginis, buglossi, sonchi, & his similibus, modo quo diximus utuntur. Alij easdem contritas species sacculo duplici imponunt, qui lapide latericino, aut marmoreo calefacto, aceto prius consperso, calefaciunt, inuicem modo unus modo alter mammæ sinistræ admoueatur, in calido crocum addimus gariophyllũ, nucem Assyriam scrupuli unius ponde. zedoariæ, exiguum, ligniq; aloes ac musci semiobolum, quarum rerum modos mutare pro hominis natura, sexuque, febris ardore, tempore, ac loco, regioneq;, alijsque rationibus cogimur, quod cognitis simpliciũ qualitatibus fieri haud difficile est.

Fomenta quæ iecori imponuntur, Caput XX.

CVm cordi ſemper proſit ipſa ſuffitio, iecori raro, nec niſi a ſanguinis dimiſſione, aut a deiectione, hoc fomentum habet aquæ ſeris vnc. iiij. aceti unam, ſandalorum rub. ſeſquidrachmam, panno ſuperiori intincto in tepente ſucco, iecur ſæpe foueat, ſi opus eſt uehementius erit ſpodio addito, & mali granati vino (ῥοΐτην uocant Græci) & ſpecierum drachmam, uel ſeſquidrachmam adijcies, quas in diarhodō abbatis imponūt Sua quoq; malagmata deſiderat ſtomachus, ſi diſſolutus eſt, quibus cibi appetentia conciliatur. Ad ſpinæ pariter ardores, ac dolores vnguine utimur, ex oleo enim conſtat roſeo, violato, nympheæ, ſucco ſemperuiui, ſolani, acetiq; omnium vncia, ad ignem commiſceātur, ceræ exiguo albæ addito, acetiq; imbre cōſparſo, & in unum redigantur, camphoræ paulum demum additur hoc vnctulo ter quaterue in die ſpina inungitur. Qui teſtes roſea aqua, acetoq; ac vino meraci linteolo fouent, uniuerſum corpus refrigerant, ac creant plus, quam ſit veriſimile.

De iterata ſanguinis dimiſſione, & alui deiectione, Caput XXI.

AT cum inter hæc præſidia morbus adhuc nec inclinare, nec remedijs cedere videtur, & nihilominus robur in ægrotante perdurat, et in pugna contumaciter perſiſtit febris, victoriæque ſpes etiam non

superest, subsidia tamen undiq; perquirit natura, exonerariq; ab humoris putredine desiderat, uel sanguinis missione, uel alui deiectione, aut utroq; modo. Si sanguinis missio iteranda est, parcius imperanda. Verum dies indicatiui, uel qui indiciarius dicitur, maxime cauendus, in quo tempore natura syderũ motus comes suas uireis exercet, sponteq; stato uelut tempore corpus exonerat, aut sanguinis profluuio, aut uentris fluxu, aut sudore, & si carthartico rursus opus est, & choleram perpurgare uelis, hæc in promptu habebis. Præter ea quæ diximus tamarindos, chryssobalanos, pruna damascena enucleata, violas, si una decoquantur ex aqua, ex quorum decocto (tres enim vnciæ satisfaciunt) saluberrimã potionem facies, si roris syriaci vnciã addes, uel siliquæ Aegyptiæ atramentũ radicis barbaræ drachmam, spicę paulũ. Alij diaprunõ sine scammonio utuntur, modumq; augent. In pituita uero quæ de agarico diximus, ualere haud dubiũ est. Vbi atra bilis diasene medicamento uti possumus, si nihil uenenati in se continet. Reliqua medicamentorum genera satis supra diximus.

De sanguinis excreationibus, Caput XXII.

AT sanguinis excreationes, quas exitialeis ante posuimus, rubrica armeniaca, terra Lemnia ex portulacæ succo eximie sanantur, hinc ad simplicium quorundam facultates transeamus, in quibus lo-

cupletis

cupletis naturæ diuinitatem miramur, præsi-dia uaria ad hæc mala elargientis.

Simplicia ac composita pestilentiæ tempore experta, Cap XXIII.

NArrant qui experta produnt, Si quis initio pestilentiȩ febris Calendulȩ succi vnc. duas aut treis ad summum biberit, deinde uestimentis operiatur, liberum reddi ab ea labe, hæc uulgaris herba est, ac sponte nascens in Græcia. Alij nõ minoribus laudibus succum uerbenæ eiusdem effectus celebrauere. Multi scabiosæ succum ad hos usus efficacissimum prȩdicant, quo ueneni uis xij. horarum spacio propellatur. Miram uim habet aduersus pesteis tormentilla radice rubra odorata, quam Sparganium Græci uocant, nam & contra serpenteis bibitur drachmæ ponde. ex uino. Dictamum præterea laudatur Cretense, & in altissimis montibus inuentum a Dioscoride, Galeno, Plinioq; commendatum. scrupuli pond. ex rosacea. Aliqui spem maximam in rubrica lemnia habent, solamq; prodesse spondent. Cui maximam auctoritatem dedit Galenus in libris suis, si ex uino non admodum austero bibatur, uel ex aqua rosacea drachmæ pondere. Alij betonicam summis laudibus prædicauere, uel siccæ satiuam ex uino. Violentiam enim morbi ad extrema expellit. Nonnulli cichorium præferunt æstate, quo diximus modo. Ab aliquib9 semina mali assyrij laudantur, si mammæ. vij. præsumuntur. Ex compositis in omni cõfesso

theriaca omnibus præfertur, ac antidot⁹ Mythridatica, de quibus supra diximus, ex rosaceo uel vino. Alij uero maiora audentes hoc modo aquam colligunt, ex furnibulo Calendulæ sparganij antedicti. Dictami, betonicæ citreaginis, omnium manipulum, rubricæ armeniacæ vncia, machir drag. iij. aceti imbre per noctem consperso, destillationibus constituunt, ex quibus aquæ sesquiuntia satis est, si mane propinatur. Sanum enim hominē a pestilētia reddit ualentissima remedio. Aliter rubricæ armeniacæ, terræ lemniæ vnc. ij. Cinnamomi semiuncia, sparganij, Dictami Cretensis, sandalorum rub. omnium drachmæ duæ & semis, ramenti eboris semidrachma, spodij scrupuli duo, corticis mali citrei, margaritarum farinæ drachma, dialithon sesquidrachma, succini odorati, monocerotis cornu farina, & ossis ceruini cordis scrupulum, auri, argentiq; purissimi singulorum semi drachma, contrita per tenuissimum cribrum secernas, ex saccharo orbiculi fiant, uel quæuis alia mixtura pro arbitrio componatur, quæ singulis momentis dari potest, efficacissima enim est, & vim malam pestilentiæ abigit, & si regalē spiritus arcem occupauerit, protinus fugat, et captiuos spiritus liberat. Alias compositiones ceu superstitiosas prætermisimus, circulatoribus magis quam medicis attribuendas. Hinc ad reliquos affectus transeamus, qui pauorem magis quam periculum afferunt.

De alarum, inguinumq; tumoribus, Caput XXIIII.

HOc & si physico alienum magisterium uideatur, quia & manus operam tandem desiderat, et ferramenta, tamen nõ sine physica ratione ad sanitatem æger recte perduci potest. In alis itaq;, sub faucibus, auribusue, & inguinibus tumores innascuntur, qui pani dicũtur. Hos in species diuisit Gale. sub phlegmõis genere bubones duros ac diuturniores, phymata molliora, ac minora quæ in pus cito conuertuntur, phygethlon, phlegmonodes, erispelas, uel erisepelas phlegmone, quæ omnia indignationem ac feruorem adenum. i. glandularum sequuntur. Phygethlon (ut Celsus tradit) tumor est non altũs, latus, durus, rubicundus cum uehementi inflãmatione, punctioneq;, ac membrorum distẽtione, neq; materia magnopere in pus conuertitur. Nam panum & paniculam generali nomine, siue inguen a loco ubi oriri solet, uocari a Latinis uideo, bubonem Græci dicũt. Cum his affectibus febres præter ephimerinas, exitiales sunt, Hippocrate & Galeno testib⁹. In qua re principale auxiliũ est uentre perpurgato, missoq; prius sanguine cucurbitulam superimponere, scalpelloq; cutem circũcidi, rursus supimponitur cucurbita, qua uirus eliciat. Qui in hoc affectu cataplasmate discussorio utunt, uitæ male consulunt, auctore Hippo. Venenũ enim quod sponte natura sagax extulit, illi ad interna, & ad præcordia retromittũt. Qui hæc puident ijs quæ errodũt

pustulas

pustulas excitant diuersæ parti superimponẽtes, ut alio auertatur uirus, ut si caput nimio somno, aut uigilijs nocturnis premi cernat, & alia cerebri male affecti signa, ut dolor capitis, uertigines, delirium, aurium, murmura, uel grauitas faciei, inflammatio, temporũ pulsus, urina clarior, sedimento in sublime tendens, & his similia circa caput abscessus denunciantur. Tum in scapulis cantharides ex ulceratrices, aut aliquid eius potentiæ imponimus. At lethargia peculiariter parotidas uenturas significat, alarum uero apostemata cordis uehemens palpitatio, animi defectus frequentes, ac anhelandi difficultas, uel summa necessitas respirandi, indicant: tum nates brachia exulcerando curamus. Inguinum uero sanguis nunquam dimissus, uel si ex naribus, uel hęmorrhoidis sanguis nunquam profluerit sanguinea præsertim habitudine, sitis uehemens, cibi tędium, pulsus venarum uehementes, turbulenta urina mali odoris, ardens febris, uel si alias pani orti sunt. Inguinũ pruritus ac inflammatio. Tum uero supra genua quæ pustulas excitant efficaciter, imponunt, uel circa crura. Alij constantis animi ferro cãdente utuntur. Afri, etiamnum eam curationem obseruant præcipuo remedio. At tumores si oriuntur, quantomagis prominent ac acutiores sunt, tantomagis salutem promittunt: contra quantomagis latent, tanto deteriores, uel si in duobus inguinibus oriuntur, in dextero inguine magis lætales sunt, qui in alis innascũtur teterrimi sunt, alij qui in collo
prorum

prorumpunt nocentiores putant ex acutiori materia ac feruenti, in quo casu uinum nullo modo dandum est. Omnes qui crisimo die fiunt sanguinis missionem nullo modo expectant, de qua suo loco diximus. His tumoribus hirudo frequens imposita prodest. Quibus fortuna faueat gallinaceos pullos uiuos, aluo glabrata, superimponunt, dimidiæ horæ spacio dimittunt: uenenatam enim uim contrahunt, alium deinde pullum imponunt, nec finis fit usq; ad .xx. qui si moriuntur spem denunciant, alioquin in dubio uitam esse uolũt, alĳ ranis dissectis semiuiuis, utuntur. Quidã Syrus in Creta pestilentiæ tempore iecur diuulsæ testudinis inguini imponi docuit, propitio atq; facili remedio. Quidam rutã tonsam imposuere. Si hæc non sunt, hoc emplastrum materiam extrahit, resoluit, et dolorem sedat, habet narcissi radices decoctas in oleo liliaceo, quæ contritæ ex melle imponuntur. Sed malagmata subiũgemus, ex quibus hoc utile est: quod ex fermento atro sapone, sinapis semine, calce uiua, ficis siccis, calchãto, nuce peruetери, ac iridis farina componatur. Idem præstat emplastrum, quod exest, Græci septicum uocant, quod fit ex narcissi radice, anacardi meligine, ac columbino fimo. Si his non cædunt tumores, uel nouacula, uel candenti ferro opus est. Si pus subest, & concoctæ materiæ iam certa signa sunt, ad manus ueniendũ est, ferroq; utendum, quod ob similitudinem Gammoides dicitur, ac pus statim extrahendum est, nec maturitas nimia expectãda quæ

periculũ

periculum affert, contra cruditas magis tuta est. Si chirurgicum contaminatum times, candente ferro, uel argento, uel auro uti potes, maior (ut diximus) medicinæ pars audatia cõstat. Quidam sinapis semine, & canino fimo, & scabiosæ succo panum aperiunt, uel ĳs quę supra diximus, exulceratorĳs medicamentis. Facta plaga sine linimēto curanda est, & quicquid deinde imponitur non astringi, sed modice deligari debet. Cætera quæ pertinent ad ulcus purgandum, pusqꝫ extrahendum, quæ epispastica dicuntur pluribus diebus imponenda sunt, alĳ sarcocolla & melle utuntur, exinde quæ ulcus implent, ac demum quæ cicatricem inducunt habēda sunt, & emplastra paracolletica dicta, quæ a uulnerū magistris haberi possunt. At medici ueteres his bubones maturabant, ac aperiebant, inter quæ aristaltheæ radix addita hominis saliua narcissi radix (de qua diximus) cum melle & auenæ farina, vrtica quoqꝫ siue eius radix sale admixto, uel axungia salsa. uel erui farina ex melle. Lupini impositi maturant & rumpunt, qđ Pau. Aegineta affirmat. Galbanum, Panace persolatæ radix, quæ & strumas aperit, & pecudum seuum cum sale tosto. Murinum fimum commixto turis polline lacertæ cinis, & ipsa diuulsa & imposita fimum columbarum per sese, uel cum farina hordeacea, aut auenacea illinitum. Cantharides mixta calce scalpelli uice panos auferunt. Blattę detractis pedibus & alis ualent. Hoc item medicamento utebantur maiores nostri ad concoctos pa-

nos

nos aperiendos, in eo ceræ & thuris drachmæ.xx. cineris muricum.x. olei ueteris heminam. Refert Paulus Aegineta herbam inueniri in Attica, quæ aster dicitur ab aliquibus bubonion appellatur, quoniã inguinum præsentaneum sit remedium, non solum si cataplasmate imponatur, sed etiã si iuxta cinctus duntaxat alligetur. Idem Plinius affirmat, & herbæ figuram his uerbis demonstrat: Cauliculus est folijs oblongis, duobus aut tribus in cacumine capitulis, stellæ modo radiata. Idem Paulus hammoniacum ex melle impositum, laudat: aperit & propolis eodem teste, radix cucumeris silicum, terebinthina, radix capparis, recens nitrum cum fermento.

Quæ fieri debeant carbunculis enatis Caput XXV.

PVstulas & carbunculos futuros, quas alij papulas ardentes uocant, indicat (ut diximus) grauis somnus, nonnũquam horror, habitudo sanguinea. Hi in omni ferme corporis parte enascuntur, quorum hæ notæ sunt, rubor inflammatus, durus, in quo pustulæ eminent. Cum plurimum nigrę, interdum subliuidæ, aut pallentes in his sanies esse uidetur, infra color niger est, ipsum corpus aridum ac durũ, circa quod quasi crusta quædã est, eaq; inflãmatione cingitur, neq; in eo loco leuari cutis potest, sed inferiori carni quasi affixa est. Hoc uitium subteractis quasi quibusdam radicibus serpit interdum celerius, interdum tardius, pro materiæ uenenatę potentia

supra

ſupra quoq; procedens inalbeſcit, deinde liui dum fit, circumq; exiguæ puſtulæ innaſcunt, et ſi circa ſtomachum, fauceisq; incidit, ſubito ſpiritum elidit. Paulus Aegineta prius mittendum eſſe ſanguinem initio, ad animæ uſq; defectū pro corporis uiribus atq; morbi magnitudine. At ſi omnino orti ſunt ſcalpello ſcarificari profundius acto debent. Circumq; inflammationē plantaginis ſuccus illinatur. Antiquorum uero ſententia nihil melius eſt, q̃ ꝓtinus adurere, neq; id graue eſt, nam non ſentit, quoniā ea caro mortua eſt, finisq; adurendi eſt (ut tradit Celſus) tum ex omni parte ſenſus doloris, tum demū uulnus ſicut cætera aduſta curandum eſt. Sequitur enim ſub medicamentis erodentibus undiq;, quam Eſcharam Græci dicunt, quandoquidem a uiua carne trahitur quicquid corruptum eſt. Cruſtam illiniunt butyro eloto, uel oleo, per ſe enim cadet, poſteaq; ſinus curari poteſt implentibus, ea medicorum ueterum cura erat. At poſteriores dimiſſo ſanguine, cucurbitulam imponunt, gallinaceo ſq; pullos, aut columbinos (quo diximus modo) & ſanguiſugas, qui candens ferrum expaueſcunt exulceratorio medicamento uti malunt, id fit oui lutheo recenti, addito ſale toſto, trito, quantum excipi poteſt: alij addunt piper, taurinumq; fel, hoc ſingulis horis mutari debet, aut fornacei panis molle feruens ſæpius impoſitum. Cynogloſſum herba lapide pinſita, tribus horis carbunculum extinguit, præſenti remedio. Pari modo & ſcabioſa, & ſymphiton minus contrita

trita

trita & imposita scabiosa. Item nitro addito, ac suilla axungia recenti, diuino quodam præsidio carbunculum discutit. Ficus arida trita cum iride, & sale, & aloë, hepatite pura aperit. Fermentum ex oleo sale adiecto, pix quoque cum passa minuta, aut panis tostus, oleo intinctus feruenti, & impositus, circa carbunculos ne serpant, plantaginis folia sæpe imponuntur, aut panis aceto non acerrimo madēs. Alia item sunt quæ aperiunt, et virus eliciūt: Floris farinæ vnc. iiij. seminis sinapis contusi, erucæ, singulorꝫ semiuncia, calchanti drachmæ. ij. cantharides numero. xx. contritæ abiectis alis & pedibus, ut Galen. scribit, ex melle excipiuntur emplastri modo, quod tribus horis panum aperit & carbunculum. Aliud quo materia uirulenta, & vis omnis morbi extrahatur, in eo imponūtur sparganij, hoc est tormentillæ radicis vnc. ij. semis, rutæ vnc. I. radicis ebuli ac sambuci omnium libra, radicis Alexandrinæ siue smyrnij, semiuncia, ex oleo chamæmilleo, ac zopisa, quā naualem dicunt, resinaqꝫ quantum sat sit, mane ac uespera id imponitur. Aliud efficacissimum, quod habet Gossipij barbati seminis nucleos, Cotton Syri uocant, nucis perueteris fermenti par pondus contrita imponuntur. Aliud quod panos & carbunculos aperit, habet ficum pinguem iridem tritam & calcem. Vlcera demum implet, & abstergit sarcocolla ex melle, symphitum, siue alum maius asphodeli radix trita et iniecta, uel peucedani. Carbunculus in pestilentia citreum malū, quod narrantium uulgo

dicitur, diuisum, addita theriaca, feruentiq́ ci nere coctum et impositum, salutare proditur, sæpeq́ id fieri uolunt, tribus horis uirus ex/ trahit, ac pus maturat. Sed pauca quibus usa est antiquitas, addemus: Carbūculos ad sup purationē perducit sinapis, & ruta syluestris laserpitio addito, si inuenitur, uel melle, eruū item ex uino lupini impositi rumpunt oleastri cauliculi cum melle triti. Nucesq́ perueteres, panaces quoq́, fimum columbinum cum lini semine ex aceto mulso. Ruta per se uisco addi to adhereat plurimū prodest, quod & Paulus Aegineta commendauit. Inunctio quoq́ cō/ tra pestilentię carbūculos ac abscessus omnes fieri solet mirabilis effectus, quę hoc modo fit: olei uetustissimi selibrā in phialam imponūt, in qua. xxx. scorpiones nouem horarū spatio ociose lento igni deferuefaciunt. Alij cacabū aquæ plenum ad ignem cōponunt, in quo phi alam antedictā imponunt, ut feruente aqua oleum pariter intus ebuliat, in qua demū the/ riacæ optimæ ligulam addūt, iterumq́ faciūt deferuere, demum eximunt, ex eo inungui de bent, arteriarū pulsus in manibus præcordia ipsa, ac iuguli lacus, & cæteræ partes quæ ar/ terijs respondent, circaq́. Deniq́ apostemata post horas sex iterū inungui debēt eædem cor/ poris partes, & statim æger haud dubio con/ ualescet. Oleū aliud mirandi effectus. In uase enim uitreo sambuci florum parteis sex impo nūt, ebuli parteis duas, hyperici partem unā, olei perueteris quantum satis sit, ut iusta infu sione supernatet, obturato deinde ore æstate

uniuersa

uniuersa solibus continuis perficitur, atque ita insolato ubi opus est utuntur. Carbunculos enim et inflãmationes omneis, siue impetus ter quaterue in die inungunt, alíj totum corpus unde uehementi sudoris profluuio virus omne elicitur. Claro præsidio, potio quoque salutaris sæpe experta, nec uana unquam inuenta, habet pulueris cordialis drag. ij. ramenti cornu ceruini drachmam, seminis sancti, ita uulgus uocat, myrrhæ singulorum sesquidrachmam, ex aceto quam acerrimo ad ignẽ protinus quũ inguina tentãtur, bibitur, in promptu enim esse debet remedium, sudore enim prorumpente undique virus elicitur, atque ita iuxta ignem calefactis lintheolis membra fedo sudore detergenda, mutandaque sudariola sunt, donec sudoris graue olentia inter fricationes subsistat. Miro enim præsidio, ut Georgius Valla Placen. ætate nostra doctissimus, nobis affirmauit, a pestilẽtia tentatos liberat, neminemque qui eam opportune potionẽ ieiunus biberit, ab hac uiolentia opprimi constat manifesto ac uulgato experimento.

Exemplum obseruationis quam Marco Marcello præscripsimus, Ca. XXVI.

TEmpore quo postrema pestis in hac vrbe Veneta infinitos pene incessit (ut curationis exemplum unũ percurramus) Marcus Marcellus, ex patricia gente, ætate iuuenis, sanguine ac bile exundans, Iulio mense febri adrapida, ac pestilenti corripitur, & nocte ipsa protinus inguen intumuit leuum, non

ſine magno capitis dolore, & grauitate, nau/
ſeaqꝫ continua ſæpius uomitabat, qua nulla
erat ad cibum auiditas. Sed ſitis incredibilis
hominem excruciabat. Pater ægri anxius hęc
nobis nũciauit, percũctatus ſum et alia ſigna,
quæ certiſſimam peſtilentiam indicarunt. Ro
gauit me ut filium omnium chariſſimum uiſe
rem, non ingrato operam præſtiturus. Cui cũ
plures medicos ad hęc idoneos inueniri nomi
natim ſignificaui, ille oblatos plures ſibi fuiſſe
parum ſolerteis, etquod deterius eſt, coinqui
natos ſe medicum, & non peſtem quærere la
chrymando proclamauit, ego forte ad fugam
cum omni familia, ſarcinulas colligebam, la/
chrymis commotus, ut bene ſperaret, de filio
hortatus ſum, nam de facienda illi medela me
ſaltem edocturum itaqꝫ urinam popoſci. Ille
protinus matulam extulit, ueterinalis enim fe
culenta, ac turbida, qua hominẽ non ſine ma/
gno uitę periculo premi adiudicaui. Maneret
qꝫ paululũ iuſſi, arreptoqꝫ calamo in hunc mo
dum curationem breuibus (præter quam uer
bis diſerui) præceptis annotaui. Secundus e/
nim erat morbi dies, iuſſi ut aſtricte aluo pro
tinus occurreret clyſteræ, quem communem
uocant, mox ex talo ſiniſtro ſanguinis ſelibrã
mitteret, uictũ ordine præſcripſi. In primisqꝫ
cubiculum calidum, non perflatilem inimicũ
multaqꝫ ueſtimenta corpori iniecta moleſta
eſſe, lintea ſæpe mutanda, cubiculũ aceto, fri/
gidisqꝫ odoribus tenendum. Aeſtuanti ægro
acetum cũ roſacea, uinoqꝫ meraci addito, dan
dum naribus uenarum pulſibus, palmis inij/
ciendũ

ciendum, atq; os colluendum, ad nauseam & sitim remedia edocuimus. A sanguinis missio ne somniculosum ægrum excitandū. Cordis iecorisq; epithemata, qualia supra diximus, annotauimus, cōfectiones, potionesq; uarias quos syropos uocamus, & ut inprimis ægrū ad cibū cogeret, sæpe prædiximus. Tertio die uentrem subduci oportere, diapruno medicamento vnciæ pon. radicis barbaræ contritæ, drachma addita ex tamarindorū, prunorūq; decocto, uespera uero ut cordialem mixturā assumeret, iussimus qualem supra annotauimus, & spinam quoq; uniuersam vnguento siue vnctulo, qui Gale. adscribitur, refrigeratricis potentiæ, ac demum leuiter cænare, in cibo magis assa quam elixa conuenire, noctis uero molestias superare, modo potionibus, modo orbiculis, confectionibusq; cor recreātibus ac spiritus. Quarta quoq; die si perstat pertinaciter febris sęuitia sanguinis, rursus ex eadem parte mittendus est, leuioribusq; cibis qui maxime tamen spiritus alant, æger alendus est, ac uenter si sponte nihil reddidisset, clysteræ citādus, potionibusq; matutinis uel uespertinis materia digerenda. Hanc obseruationem usq; ad septimum diem necessariā, asse. viij. uero, catapotia. v. Ruffi summo mane deuoranda, totidemq; sequenti die. Cibū exinde augeri, modo quo uires recolligentib° conuenit, his præsidijs egrum usq; ad. xij. diē prorogari tutum esse diximus. Interea tamē materiæ reliquias digerere, ac refrigerare perseueranter debemus, quas. xvi. die perpurga

re necessarium esse, roris syriaci sesquuntia, ac radicis barbaræ drachma ex acetosæ aqua, si bibuntur, aliaque subiunximus, quæ ne idem sæpius dicatur, prætermittimus. Separatim idẽ chirurgici operam breuiter absoluimus, qui secunda quoque die, cucurbitulam uespera duntaxat inguini tumenti apponeret, scalpelloque cutem circumcideret, atque in summa tali parte exulceratorium medicamentum ex ijs, quæ nuper descripsimus, ad uesicas exitandas, exinde emplastrum quod ex nuce rancida, arida fico, betonicæ rutæque succo galbano, fermentoque triticeo componitur, superimponi deberet, ad quintum usque diem, deinceps aliud ex aristalteæ radice, axungia, sicca ficco, liliorum bulbis, ex melle scabiosæque succo componit̃, eoque usque ad. x. diem uteretur, uel id quod nuper diximus, ex narcissi radice fit. Si panus sponte non aperitur, expeditissimum esse, ut ferro statim aperiatur, si id timet ex vlceratorijs iterum uteretur. Reliqua ad ulcus purgandum, replendumque chirugico nota esse. Quibus omnibus rite obseruatis, si diuina fauissent auxilia, filium omnino ab ea labe euasurum, nisi quid aliud superuenerit, large denunciauimus. Atque ita dei nutu, ut nobis significauit, ex periculoso morbo filius conualuit, breuibusque præceptis ad uitam reuocatus est. Plurimum enim refert in arte medica perpetuo uersari, exercerique, omnium tamen efficacissimum est facta atque euenta firmiter (quod Galenus sæpe prædixit) meminisse.

Hæc de pestilenti febre dicta sint, de febri

uero

uero, quæ varros, & boam, uel simileis affectus affert, quum de febre sanguinea agemus, suo dicemus loco.

FINIS LIBRI ALEXANDRI BENEDICTI DE FEBRIBVS PESTILENTIALIBVS.

AD CANDIDVM LECTOREM IOACH. SCHILL.

EN Lector mellitissime, ne tibi uspiam deessemus, geminos hosce libellos exiguos sane, quorum alterū eo qđ potui studio, diligentiaq; recens ego confeci, alterū uero quē Albanus Torinus tanq; Augiæ stabulum expurgauit, iam denuo relegimus, Verum dum ita meditaremur ut a mendis defenderemus, utrisq; plane hic euenisse uideo, qđ in lernæa olim illa Herculi hydra. Proinde nostræ negligentiæ quoniā aliis distracti curis, ne id impingas temere rogamus. Vale.

Fol.3.lin.26.lege attollunt. Fœtidos.5.8. Crassissimum. 9.24. Telinæ.9.17. Brisulis 10.16. Conditas.10.31. Sa.tu.11. 2. in margine. Draconis.11.19. simp.11.9. Modico.14. 31. Spicæ.16.25. Corticibus. 17.26. Acetosorum. 17.27. Scrupuli vnius. 18.15. Altiliū 19.15. Electis. 22.29. Perfusis. 22.30. Magisq;.22.31. Pro omniū lege ouum.22.11.



BASILEAE EXCVDE-
bat Henricus Petrus mense
Augusto, Anno
M. D. XXXI.

